De Sophoclis arte dramatica

e fabularum rebus inter se discrepantibus cognoscenda.

Commentatio philologica

quam consensu et auctoritate amplissimi philosophorum physicorumque ordinis in alma litterarum universitate regia Monasteriensi ad summos in philosophia honores rite consequendos

scripsit

Guilelmus Dopheide
Guestfalus.

Monasterii Guestfalorum.
E typographeo Aschendorffiano.
1910.

Consensu et auctoritate ordinis philosophorum commentationem typis expressam esse testatur

Guilelmus Kroll
ordinis philosophorum h. a. decanus.

De comprobanda hac commentatione ad ordinem philosophorum rettulit

Guilelmus Kroll
P. P. O.

Praemonenda.

Saeculo superiore Sophoclis interpretes de fabularum inconstantia ita disputare consueverunt, ut res inter se discrepantes plerumque tollere studerent aut verbis quacumque ratione interpretandis aut delendis. sed ea re discesserunt, quod eas alii parum observabant, alii maxime. illi enim verborum emendatione contenti et in arte poetae universe aestimanda et adumbranda acquiescentes istas res non respexerunt, nisi forte toti sententiarum conexui repugnare et eam ob causam a poeta prorsus esse abiudicandae videbantur; hi vero fabulas perquam multis interpolationibus depravatas existimantes illas potissimum res et indagaverunt et tractaverunt, ut fabulas permutatas esse demonstrarent et effigiem earum suam quisque expediret defenderetque ab omnibus rebus repugnantibus.

plerisque autem interpretibus persuasum fuit opera poetarum ita posse revocari ad certa praecepta legesque, ut his ea mutari non modo liceret, verum etiam necesse esset. „Vor allem aber führte die Logik ihre mörderische Schere" (U. de Wilamowitz Her. I. p. 249.). hinc est, quod res inter se discrepantes non ita tractaverunt, ut opera scriptorum veterum intellegerent, sed commutarent.

nunc vero scimus libros antiquos multo melius, quam crediderunt, nobis esse traditos; constat deinde auctores, etsi plerumque eo spectent, ut quodvis opus sit unum et gravibus rebus inter se repugnantibus liberum, hoc tamen haud raro neglegere — sive consulto recipiunt inconstantiam ad certum quendam effectum spectantes sive irrepit invitis iis atque insciis vel opus alterius poetae vel aliud quid ante oculos habentibus [1]). scimus denique

[1]) paucas affero de his rebus commentationes. de Homero cf. P. Cauer: Grundfr. d. Homerkr. ([2] Lips. 1909), qui nonnullas carminum Homericorum discrepantias non e contaminatione, sed ex arte consiliisque poeticis explicandas esse planum fecit p. 384 sq., de Vergilio Guil. Kroll: Studien üb. d. Komp. d. Aeneide (J.J. Suppl. 27), qui in Aeneide certis de causis a poeta interdum ad-

res inter se non concinentes facillime admitti a poetis scaenicis, quoniam hi non solum condiciones rerum ipsarum, sed etiam scaenae respicere coacti sunt nec tam rebus ipsis quam actione animos spectatorum movere intendunt nec totum opus, sed praecipue, ut spectatores, singulas partes ante oculos habent, quo fit, ut res inter se discrepantes minus observentur.

his cognitis apertum fit, quantopere erraverint illi, qui istas res ea tantum ratione respexerunt, ut iis utique exstirpandis constantiam fabularum efficerent quaerentes: suntne ab ipso poeta profectae an ab interpolatore quodam? nobis vero necesse est unamquamque illarum rem ita examinare, ut hoc primum exquiramus, quibus de causis, quo consilio sit admissa discrepantia. unde apparet — id quod maximum est — has ipsas res inter se non concinentes praecipue idoneas esse ad artificia, consilia, studia scriptorum cognoscenda. nam si poeta binas res inter se repugnare patitur, fieri non potest, quin supra constantiam aliud quid mente agitaverit, hoc una parte, illud altera.

hac igitur ratione aditus datur ad penetrandum in ipsum poetae animum, ubi diversae cogitationes et consilia exstabant atque inter se pugnabant, usque dum illud opus evasit, quod hodie manu tenemus. enimvero conabimur hoc opus spectare non quasi statuam saxeam ac firmam, quacumque ratione nobis interpretandam, dummodo pulchritudinem eius, firmitatem, constantiam admiremur ac tueamur, sed observare id studebimus, quemadmodum coortum sit ex ingenio vivo viventis hominis et qui consilia sua cogitationesque in artificiosam formam redegerit et animos hominum sui temporis cupiverit movere. „Denn wir müssen die Alten wieder jung sehen, dann werden die Jungen uns alt anmuten, und wir werden fortschreiten" [K. Joel [1])].

missam esse rerum inconstantiam demonstravit. sed ne poetam doctum cum divinis temere eodem loco ponamus, hic maxime notatu dignum est ne clarissimas quidem poetarum scaenicorum fabulas repugnantiis gravibus vacare, ut Lessingii, Goethei, Schilleri, Kleistii. exempla congesserunt P. Cauer, qui l. c. p. 363—383 eleganter exposuit, quam variis modis in diversis artium generibus discrepantiae irrepant (cf. maxime Goethei de hac re iudicium: Gespr. m. Ekkerm. III. 18. 4. 1827), Jellinek et Kraus: Widersprüche in Kunstdichtungen. Z. f. ö. Gymn. 1893 p. 673 sq.), J. Niejahr, utriusque adversarius: Kleists Penthesilea u. d. psycholog. Richtung i. d. modernen literar-geschichtl. Forschung (Euphor. III. [1896] p. 653—692, de poesi dramatica praesertim p. 687 sq.), Jellinek et Kraus: Widerspr. in Kunstdd. u. höh. Krit. an sich (Euph. IV. p. 691 sq.), H. Roetteken: Bem. z. Meth. d. Litg. (Euph. IV. p. 718—756).

[1]) Urspr. d. Naturphilos. (Jena 1906) p. 160.

tali autem commentationi maxime idoneus est Sophocles. nam eius fabulae et praeclarae sunt et mirum in modum rebus inter se discrepantibus non vacuae — praecipue Trachiniae et Antigona et Oedipus Col., quas fabulas imprimis tractabo. est sane perdifficile firmis argumentis planum facere res dissonas esse ab ipso Sophocle profectas. etsi enim discrepantias a poetis et antiquis et recentioribus et epicis scaenicisque admitti comprobatum est, tamen exploremus oportet, singuli scriptores quantopere, quibus de causis, quales res siverint inter se pugnare. hoc autem de Sophocle, quod fieri possit, me demonstraturum spero duabus rationibus. primum explanare conabor unamquamque illarum rem suae parti esse tam aptam ac necessariam, ut inde quasi nata videatar, nec posse dissolvi nisi maximo integritatis detrimento, ut vel hinc suspicari liceat eas res poetae non esse abiudicandas. deinde cum explicaverimus, quibus consiliis singulae discrepantiae admissae sint, haec componam consilia, ut videamus, num aliquo modo inter se concinant, ita quidem, ut uni eidemque scriptori tribui possint. si vero — ut ita dicam — concordiam consiliorum maximam cognoveris artisque Sophocleae imaginem conspexeris unam et simplicem, facile concedes hoc quoque modo comprobari res inter se pugnantes esse ipsius poetae. — augetur autem quaestio etiam ea re, quod de fabularum origine consilioque nihil fere memoriae traditum est, unde fit, ut ad haec exploranda fabularum ipsarum res et maxime eas, quae inter se non concinunt, examinare necesse sit. atque ut memet ipsum res hac ratione exquirendae magna delectatione tenuerunt, ita legentibus languorem me non allaturum esse spero. consentio enim cum poeta nostro, qui dicit: „Übrigens ist mir alles verhaßt, was mich bloß belehrt, ohne meine Tätigkeit zu vermehren oder unmittelbar zu beleben“ (Goethe).

A. de Trachiniis.

I. In Trachiniis rerum discrepantia vel maxime mira ad matrimonium Deïanirae pertinet. haec enim duobus locis dicit se placide admodum Herculi permisisse, ut concubinas haberet permultas, altero ad Licham 459—462:

οὐχὶ χἀτέρας
πλείστας ἀνὴρ εἷς Ἡρακλῆς ἔγημε δή;
κοὔπω τις αὐτῶν ἔκ γ' ἐμοῦ λόγον κακὸν
ἠνέγκατ' οὐδ' ὄνειδος.

altero ad chorum 543—544:

ἐγὼ δὲ θυμοῦσθαι μὲν οὐκ ἐπίσταμαι
νοσοῦντι κείνῳ πολλὰ τῇδε τῇ νόσῳ.

hinc difficillimum factum est explicare, cur Deïanira prorsus aliter se gerat in Iolam, ipsam quoque aemulam. quam difficultatem ut superarent, interpretes quidam — ut Oerius [1] — dixerunt de concubinis aliis quidem Deïaniram non ita gravatam esse, ut quas Hercules non domum secum adduxisset, sed magnopere de Iola, quae veniret in regiam. de hac opinione optimo iure Zielinskius disserit his verbis [2]: „Gegen diese Auffassung läßt sich

[1]) Beiträge zum Verständnis der Trach. des Soph., Berlin 1882.
[2]) Excurse zu den Trach., Phil. 55 (1896) p. 491—540 et p. 577—633.

vor allem eins einwenden: sie ist scheußlich. Aber das mag subjektiv sein. Das zweite ist, daß sie falsch ist; die Unterscheidungsmerkmale treffen alle nicht zu. Ist Jole Herakles' *δάμαρ*, so sind die *ἕτεραι πλεῖσται* seine *γαμεταί* (460), und das ist dasselbe; wird Jole der Deïanira ins Haus geschickt, so heißt es von den andern (461) *κοὔπω τις αὐτῶν ἔκ γ' ἐμοῦ λόγον κακὸν ἠνέγκατ' οὐδ' ὄνειδος*, also waren sie mindestens in Hörweite" (p. 512). plura de hac falsa sententia dicere superflueret, nisi nuper eandem Adolfus Müller polite exposuisset [1]). sed politis verbis non decipimur. nam Oerio adstipulatus etiam id affirmat (p. 400) Deïaniram antea quidem sine ira permisisse, ut permultae coniugi essent concubinae, forma sua florentique aetate fretam, sed Iolae idcirco acerrime aemulari, quod ea („die in Gram und Kummer hinwelkt" p. 400) suam aetatem speciemque videat marcescentem, aemulae crescentem, cf. v. 547—551, quo loco femina aetatem formamque aemulae cum sua comparat. Sophoclemne ita finxisse matrimonium Deïaniraeque ingenium? nonne perquam mirum esset, si mulier iuventa viribusque vigentibus non invidisset aemulis, quas procedentibus annis habebat *πλείστας* (459), subito sentiens sibi senectutem appropinquare Iolae invidisset? an acquiescemus in hac interpretatione tam artificiosa, quam exhibent ii, qui rerum constantiam quacumque interpretatione conantur servare? immo, ut istis angustiis exsolvamur, nulla opinione praesumpta fabulam acriter examinantibus nobis apparebit tali ratione in hac quidem re abstinendum esse. Sophoclem autem videbimus, quamvis hoc mirum sit, illis locis exceptis (459—462 et 543—544) tragoediam sic instituisse, ut Deïanira ab Hercule, ut uxor una, fide integra videretur amata.

hoc vel inde suspicari licet, quod Iola p r i m a Deïaniram induxit, ut illo veneficio uteretur, quo Nessus quamlibet aemulam superari posse dixit (575 sq.). itaque Zielinskius recte conclusit hoc l. c. p. 511: „Deïanira erhält ein Zaubermittel, das ihr das Herz des Gatten wiedergewinnen soll, wenn er eine andere liebt; er liebt die Jole, und sie wendet das Mittel an; früher hat sie es nicht getan — also hat er ihr wohl keine Veranlassung gegeben (— tum videlicet Deïanira veneficium nociturum esse novisset —), also ist die Liebe zu Iole Herakles' erster Treubruch gewesen." hactenus ille. ipsum vero poetam de Herculis fide sic cogitasse

[1]) Aesthetischer Kommentar z. d. Trach. d. Soph. (Paderborn 1904) p. 396—402.

breviter licet explicare. atque hoc inde planum fit, quod Herc. Thebis, ex patria sua, Deïaniram in matrimonium sumpturus profectus fingitur (510) et priusquam omnes aerumnas suas, praesertim servitutem Eurysthei, subire coepit, uxorem eam duxit — haec enim omnia in matrimonio esse peracta narratur v. 27 sq. —, unde fit, ut Deïanira et Hercules, in aetatis flore coniuncti, per longam vitam omnia adversa communiter perpessi sint 27–48. quam rem Sophocles haud dubie finxit certo quodam consilio, cum eam anteposuerit fabulae volgari, qua Herculem plurimis laboribus perfectis multisque matrimoniis contractis paulo demum ante mortem cum Deïanira coisse ferebatur [1]). ab hac fabula cur tragoediam faceret abhorrentem, nullam aliam opinor habere potuit causam, nisi quod Deïaniram voluit Herculis uxorem fuisse unam per longum tempus, ut per Iolam concubinam maxime percelleretur.

optime autem fides Herculis illustratur eo, quod Deïanira, cum prologo omnia quae passa sit mala persequatur, ne unum quidem verbum facit de adulterio aliquo coniugis, quamquam id esset uxori sollicitae, quo erat ingenio, malum gravissimum et quod defleret dignissimum. sed ne dubitare quidem videtur de coniugis fide, qui ei est *πάντων ἄριστος ἀνήρ* 174. — tum dicit Herculem apud homines habere magnam fidei opinionem verbis: *τοιάδ' Ἡρακλῆς, ὁ πιστὸς ἡμῖν κἀγαθὸς καλούμενος, οἰκούρι' ἀντέπεμψε τοῦ μακροῦ χρόνου* 540—542. sed cum mulier propter argumentum illius orationis v. 531 sq. (cf. v. 544 et infra p. 12 ann. 1) hoc acerbissima ironia protulisse putanda sit, hinc id tantum elucet a Sophoclis cogitationibus amorem Herculis fidum non alienum fuisse.

deinde vero Deïanira cum Iolam re vera esse Herculis concubinam accepit 351 sq., sic animo est obstupefacta et perculsa tamque inops consilii, ut etiam e puellis chori, quid faciat, exquirat, quas omnino talium rerum imperitas esse ipsa dixit 142 sq. has imperitas interrogare non ei opus erat, si iam saepe ei fuissent aemulae.

ut autem Deïanira, ita chorus nullas alias Herculis nuptias cognovisse videtur nisi cum Iola novas. neque enim usquam tale quid profert ac ne in illo quidem carmine 497 sq., quo vim amoris celebrat, qui tam multos saepissime coegerit. huius autem

---

[1]) Pind. fr. 249. schol. Il. XXI. 194. Apollod. 2. 7. 5 Diod. Sic. 4. 34 sq. cf. Nauk: praef. ed.[6] Trach. Berol. 1891.

carminis argumentum postulavisset, ut etiam Herculis multae mulieres commemorarentur, quem Cupido nonnumquam superasset, cum praesertim in eius fortuna tota fabula vertatur. sed nihil nisi de eius in Deïaniram amore profertur.

denique Lichas non alia de causa Iolam concubinam esse Herculis dissimulat nisi quod timet, ne Deïanira valde vulnerata summa ira incendatur v. 472—489. hoc non ita vereri debuit, si domina iam saepe aemulas iuxta se esse sivisset.

ex his quidem rebus elucet Sophoclem eo spectasse, ut Deïaniram fingeret unam esse Herculis uxorum integraque fide dilectam. neque enim poeta ignoravit, quaecumque mulier meditaretur ageretque, non intellegi, nisi acerbe concitaretur vel opprimeretur eo, quod sese deiceret Iola ex coniugis amore fido.

sed cum ab hac coniugii fide illi de multitudine concubinarum loci 459 sq. et 543 sq. prorsus abhorreant, habemus duas res inter se non concinentes, altera parte unam Deïaniram ab Hercule amatam, altera permultas, hoc verbis expressis aperte, illud nonnullis rebus tectius significatum.

unus Zielinskius, quod sciam, hanc repugnantiam agnovit, (Phil. 55 p. 515 sq.). sed non possum probare rationem eius interpretandi. primum enim ostendere studet (p. 511 sq.) et Licham dominae esse incognitum et a Deïanira simulari permultas aemulas sibi fuisse, deinde versum 544, quo mulier de concubinis illis ad chorum dicit, esse delendum [1]).

primum igitur id quaeritur, an Lichas Deïanirae incognitus sit. hoc ille concludit e v. 531, ubi Lichas ξένος appellatur, quod falsum esse iam Ad. Müller annotat (l. c. p. 242 annot. 1). nam quicumque peregrinatus redit, eo verbo dici potest: Antigona quidem Polynicem, suum fratrem, ξένον appellat O. C. 1249.

deinde Zielinskius e v. 248 sq. efficit, ut Lichas ante tres demum menses ad Herculem Oechaliae oppugnandae milites conquirentem venerit, cum ille, quae domino acciderint, sic enarret, ut quomodo Herc. Iphitum necaverit et in servitutem Omphalae devenerit, e domino se audivisse dicat, sed sese ipsum vidisse expugnationem Oechaliae. sed verba Sophoclis Zielinscii opinionem falsam esse arguunt. Lichas enim, ut Deïanirae persuadeat coniugem non propter Iolam, sed propter Euryti iniurias, Iphitum necatum, servitutem perlatam oppugnasse Oechaliam, descriptioni

[1]) hanc opinionem vehementer nuper defendit in Ph. 64 (1905) p. 5 sq.

servitudinis haec duo innectit: *ὥς φησ' αὐτὸς* v. 249 (cf. Nauck ad l.) et *ὥς αὐτὸς λέγει* v. 253. nam invictum illum ac superbum feminae servisse tam non erat credibile, ut ipsius testimonio opus esset. tum Lichas narrat, quibus iniuriis Herc., ut Oechaliam aggrederetur, permotus sit. hoc narrationis summum auctoritate domini confirmare debuit (v. 261 *ἔφασκε*), praesertim cum Herc. omnium solus optime sciret, quibus de causis Oechaliam oppugnaret. iam dubium non esse puto, quin ex hoc loco temere conclusum sit Licham ante breve tempus demum cum Hercule convenisse.

immo eum Deïanirae iam pridem cognitum fuisse clarum fit e v. 188—189, ubi nuntius eum ita nominat, ut confidere videatur Licham et dominae et spectatoribus satis cognitum esse. dicit enim:

ἐν βουθερεῖ λειμῶνι πρὸς πολλοὺς [1]) *θροεῖ*
Λίχας ὁ κῆρυξ ταῦτα.

neque ipsa Deïanira quaerit, quis sit Lichas, sed ubi nomen eius accepit, laeto nuntio freta valde gaudet (200 sq.). optime autem Lichas ipse se dominae cognitum praebet, cum unoquoque verbo caritatem suam et pietatem erga eam ostendat praesertim eo, quod, cum vereatur animum dominae vulnerare (481 sq.), Iolam Herculis concubinam esse summo studio dissimulat atque id sua sponte, non auctore domino (cf. v. 479 sq.) [2]).

iam satis demonstrasse mihi videor falsam esse Zielinskii opinionem, immo e fabulae rebus intelleximus Licham Deïanirae cognitum atque etiam familiarem esse. hinc id quoque cogitur, ut vir doctus falso existimaverit a Deïanira permultas aemulas

---

[1]) etiam tum, si Zielinskio auctore librorum auctoritatem sequentes *πρόσπολος* a Sophocle scriptum esse putamus, Lichas tamen non minus Deïanirae incognitus describitur. scripsisset saltem, opinor, Soph.: *πρόσπολός τις Ἡράκλειος* vel simile quid.

[2]) hoc consilium aspectu Deïanirae captum esse Zielinskius asseverat. sed hoc non debet inde concludi, quod Deïan. Licham, de quo antea tertia persona dicit, subito verbis *χαρτὸν εἴ τι καὶ φέρεις* (v. 228) ipsum alloquitur; cf. ann. Radermacheri ad O. C. 1354 (cf. etiam Ar. ran. 1121). et abhorreret ab omni rerum natura, si miles iste rudis et asper („der Landsknecht"! p. 510) tenellum illud ac delicatum subito excogitasset, ut alicui feminae sibi incognitae, haud scio an venusta specie inductus, tam leniter parceret. accedit, quod Soph. hoc ne uno quidem verbo significavit. nam illa verba *χαρτὸν εἴ τι καὶ φέρεις* (v. 228) Deïanira non dicit — id quod ille doctus contendit — aspectu Lichae consilium suum novum subito capientis obstupefacta, sed de prospero eventu dubitans eodem sensu, quo versum 232 sq. et 236.

coram Licha simulari (489 sq.). hoc enim simulare non debuit coram Licha, quippe qui totam Deïanirae fortunam condicionesque noverit, praesertim cum vel maxime esset incredibile Deïaniram, piam illam et caudidam, mendacio quodam turpissimo ignominiam suo coniugi maxime dilecto imposituram fuisse.

neque vero ad Licham solum, sed etiam ad chorum ea idem aperte dicit v. 544 (*νοσοῦντι κείνῳ πολλὰ τῇδε τῇ νόσῳ*). hunc versum cur deleamus, nullam aliam causam habemus nisi Zielinskii opinionem, quam falsam esse intelleximus.

non igitur dubitandum est, quin Deïanira utroque loco v. 459 sq. et v. 544 sincere et ex animo dicat permultas aemulas sibi fuisse. at quid faciamus, cum ab his distet illud Deïaniram esse Herculis unam uxorem ac semper integra fide dilectam?

iam praefatione (p. 3 et 4) exponere studui, quam facile, quam multis modis res inter se discrepantes in opera poetarum scaenicorum irrepant et in quanto errore versentur ii, qui se putabant coactos esse unamquamque discrepantiam quocumque modo exstirpare. stat quidem — ut vidimus — haec nulla ratione labefactanda tutaque ab omnibus istis interpretationibus.

id solum quaeritur, quemadmodum ea sit orta. si ad hunc finem utrumque illud inspicimus, primo aspectu cognoscimus id quidem, quod Deïanira ab Hercule sit una dilecta, argumento totius fabulae esse necessarium. est enim ea condicio, sine qua omnia, quae Deïanira dicit atque in Iolam suscipit, non intelleguntur, igitur consulto tragoediae proposita et prae vulgari fabula excogitata ad actionem Trachiniarum apte explicandam.

id autem, quod Herculi permultae concubinae fuerint, nusquam profertur nisi duobus locis (459 et 541). atque his qua tandem de causa? priore loco (459) Deïanira inde a v. 436 omni modo Licham permovere conatur, ut verum de Iola dicat. hoc autem difficillimum est. nam ille iuramento verum se iam dixisse confirmavit v. 399 et Deïaniram leniter exquirentem nuntiumque molestissime aggredientem ambagibus versute et pervicaciter subterfugit 395—435. atque pergit negare propter unam hanc causam, quia veretur, ne animus feminae valde vulneretur (cf. v. 472—489). hoc sentit Deïanira, hunc timorem ex eius animo exstirpare debet. ideo dicit ad eum de vi amoris, a quo ut ipsa, ita Iola potuerit superari v. 441 sq.; ac deinde cum nullum aliud argumentum habeat, quo certius demonstret sese haud ita eius-

modi re vulnerari, — saepe se iam Herculi, ut multas concubinas haberet, sine ira permisisse affirmat his verbis:

> τὸ δ' εἰδέναι τί δεινόν; οὐχὶ χἀτέρας
> πλείστας ἀνὴρ εἷς Ἡρακλῆς ἔγημε δή;
> κοὔπω τις αὐτῶν κτλ. v. 459 sq.

hoc igitur argumentum facillime huc irrepsit; est enim huic parti, ne dicam necessarium, certe aptissimum.

eodem modo res se habet altero loco v. 544 [1]. namque v. 531—587 Deïanira sibi ipsi choroque demonstrare studet se Nessi veneno uti cum deliberatione et bono consilio, remota temeritate omnique ira; in eo versatur tota oratio (cf. v. 552 et 543); nam cum bono consilio nec temere Deïaniram interire voluit poeta, qua utebatur arte vere tragica. sed mulier tantis angustiis pressa quam tandem habet causam, cur iram et dolorem aliquo modo reprimat et utatur ratione admodum considerata? nullam aliam haud dubie meliorem nisi quam pronuntiat his verbis (543—544): ἐγὼ δὲ θυμοῦσθαι μὲν οὐκ ἐπίσταμαι νοσοῦντι κείνῳ πολλὰ τῇδε τῇ νόσῳ. nam multa et gravia habet, cur de Iola gravetur. sensit enim eam esse iam non virginem, sed Herculis uxorem (536), scit cum ea se communicaturam esse domum atque etiam cubiculum (539—543, 545—546), cumque semet ipsam videat aetate provectiorem, aemulam forma et aetate florentissimam, veretur, ne ex coniugis amore funditus eiciatur (547—551). omnes hae sunt mulieri temeritatis causae maximae, et eam tamen uti deliberatione non intellegeretur, nisi ficta esset saepe iam in eadem condicione versata. — ergo perapte utroque loco v. 458 sq. et v. 544 Deïanirae permultas aemulas fuisse profertur, ne ἄπιστον videatur illic a Deïanira Licham ad verum dicendum commoveri, hic illud consilium cum deliberatione capi. atque id quasi nascitur ex argumento utriusque partis. poeta igitur ut has partes ad magnum in scaena effectum institueret, eos locos sivit irrepere, quamquam cum ceteris partibus pugnant.

de hac vero inconstantia ut recte iudicemus, haec maxime respicienda sunt. primum Herculem permultas concubinas habuisse

[1]) ab hoc versu, quo Deïanirae multas concubinas fuisse dicitur, non ita discrepat v. 541, ut v. 544 tam prope ei subsequens ferri nequeat. immo v. 541 nihil significatur nisi de fide Herculis esse famam (καλούμενος), quae falsa esse facile potuit. hanc vero famam, quae de fide erat, et adulteria reapse facta poeta haud dubie inter se ideo opposuit, ut animos audientium hac quoque re concuteret.

fabula volgari pervagatum et tritum fuit. maxime vero Athenienses hoc ex comoediis iam a pueris cognoverunt. qua de causa res ita se habere videtur, ut Soph. senserit id sibi ipsi notissimum reprimere se debere, — et repressit hoc — ut supra demonstravimus — dedita opera significavitque amorem mariti fidum, cum hoc esse totius tragoediae fundamentum non ignoraverit. sed non perfecit, ut hoc obtineret per totam fabulam. cum ad argumenta singularum partium apte explicanda praecipue spectaverit. sic in tragoediam translata est illa repugnantia inter aetatis heroïcae de coniugii fide opinionem et eam, quae vigescebat saeculis posterioribus.

maxime vero id reputemus oportet a Sophocle fabulas conditas esse non tam ut legerentur quam ut agerentur in scaena. spectatores autem facillime fugit illis locis discrepantiam cum aliis contineri, et quia uterque locus effectui suae partis elegantissime convenit, ut eo facile abripiantur, et spectantibus rem tritam exhibet et quia illud ab hac re abhorrens. Herculem integra fide usum esse, non aperte pronuntiatum est verbis, sed elucet tantum e rebus nonnullis. quae cum ita sint, non observatur inconstantia nisi ab iis, qui unamquamque fabulae rem enixe enodant examinantque. ac ne ii quidem omnes eam perceperunt.

haec tanta poetae securitas ac neglegentia ei sane molesta erit, qui — ut Wilamowitzius dicit (Her. p. 384) — „a priori vor allem Sophokleischen in Bewunderung erstirbt". sed nos poetam neque castigantes neque laudantes id solum contendimus cognoscere, qua ratione singulae res in fabulam receptae sint. — postremo meum esse putas exempla afferre, quibus illam rem sane miram illustrarem; sed cum commentationes graviores, quibus eiusmodi res e fabulis poetarum antiquorum recentiorumque collatae et tractatae sunt, praefatione (p. 3 et 4) laudaverim et tota mea dissertatione talia congesturus sim, id unum significare hoc loco satis est omnino fabulam volgarem in Sophoclis operibus saepe discrepantiam effecisse. hoc enim vel inde cognoscitur, quod fieri potuit, ut cum alii tum Adolfus Schoell [1]) e fabularum inconstantia concluderent eas restractas esse ab aliis et ita quidem, ut Sophoclis ipsius tragoediae ad fabulam volgarem propius accederent, a retractatoribus autem aliud quid illatum esset.

II. Iam convertamus nos ad Herculis discessum, qui ita describitur, ut ille suos reliquisse videatur tum Tirynthe profectus tum Trachine.

[1]) Sophocles' Werke verdeutscht u. erklärt, Stuttg. 1866—1870.

priusquam adeamus ad ipsam rem, dicamus oportet id quidem una ratione per totam fabulam obtineri, quod Tirynthe fuerit domicilium Herculis suorumque et necatus sit Iphitus v. 269—273. iam vero incipiamus de ea re dicere, quod poeta Herculem a Deïanira et suis discedentem iam Tirynthe abiisse voluit. hoc multis rebus planum fit: primum ex ipsa rerum natura consequitur, ut post Herculis discessum demum familia Tirynthe depellatur, quia invictus ille et ferox sese una cum familia eici vix sivisset. adde quod eodem modo historia fabulari Heraclidas patre mortuo demum ex Peloponneso depulsos esse ferebatur; a qua cur distaret, Soph. nullam habuit causam. immo se cum ea consentire illustrat hac ratione:

Herc. ab uxore abiturus tabulam eam reliquit v. 155—172, qua praeter alia elogia praecepit, qua ratione inter filios *γῆ πατρῴα* distribuenda esset v. 162—163. id praecipere potuit, si Tirynthe proficiscebatur, ex civitate sua, non potuit, si una cum suis expulsus *ξένῳ παρ' ἀνδρὶ* (v. 40) versabatur. tum vero familia post patris in Lydiam discessum eiecta Trachinem iit, quo ille non venit.

idem est in Deïanirae querella v. 38—41, quo loco dicit dolore pressa post Iphitum (Tirynthe v. 270) interfectum se quidem esse Trachine patria depulsam, sed quo ille profectus sit, neminem scire:

ἐξ οὗ γὰρ ἔκτα κεῖνος Ἰφίτου βίαν,
ἡμεῖς μὲν ἐν Τραχῖνι τῇδ' ἀνάστατοι
ξένῳ παρ' ἀνδρὶ ναίομεν, κεῖνος δ' ὅπου
βέβηκεν οὐδεὶς οἶδε.

ex his satis planum fit poetam rem ita finxisse, ut Hercules numquam cum suis fuisset Trachine sed Tirynthe abisset, unde postea demum sui eiecti essent.

sic autem discessus eius praecipue describitur in fabula ineunte, certo quidem consilio. nam poetae fuit in tragoediae initio spectantibus misericordiam Deïanirae concitare, atque id quidem peraptum ad animos permovendos est, quod illa post coniugis discessum Tirynthe turpiter cum liberis expulsa Trachineque benigne hospitio recepta summis angustiis ac desiderio coniugis tenetur, praesertim cum ille futura tam incerta esse arbitratus sit, ut etiam de hereditate testamentum relinqueret.

sed ab his rebus plane distat mortis Deïanirae descriptio, ex qua cognoscitur Herculem re vera Trachine fuisse idque per longum tempus. vocatur enim cubiculum *Ἡράκλειος θάλαμος* v. 913.

et lectus δέμνια Ἡράκλεια v. 916 et Deïanira ipsa moritura salvere ea iubet his verbis v. 920—922:

ὦ λέχη τε καὶ νυμφεῖ' ἐμά,
τὸ λοιπὸν ἤδη χαίρεθ', ὡς ἔμ' οὔποτε
δέξεσθ' ἔτ' ἐν κοίταισι ταῖσδ' εὐνάτριαν.

ita, meo quidem iudicio, non potuit a domo cubiculoque discedere, si quidem Trachine hospita cum liberis solis versabatur sine coniuge; tum autem potuit, si diu cum coniuge ibi degit. ergo rerum haud levis discrepantia. quae quomodo orta sit, haud difficile est intellectu. in fabulae enim initio poeta — ut supra vidimus — aliud quid animo intendit, hoc autem loco id spectat, ut in necis Deïanirae descriptione quam summum — ut Graeco verbo utar — πάθος insit. etenim si illa cum marito ibi diu versata esse videtur, eius discessus multo tristior multoque miserabilior fit.

maximam autem vim ad mortis descriptionem sic instituendam certo habuerunt aliae tales. ac statim cogitas de Euripidis praeclara illa, quae est in Alc. v. 158 sq. idque praesertim, cum ab eo prae Trachiniis perapte depingatur, quomodo Alcestis domui suae dolenter valedicat, quippe quae per totum matrimonium ibi cum coniuge coniuncta versata sit. deinde tam similes inter se sunt descriptiones ac singula quoque verba, ut alterum poetam ex alterius opere sua sumpsisse perquam verisimile sit. nimirum similitudo verborum criticos non fugit. sed uter auctor esset prior, nemo pro certo adhuc comprobavit, quoniam sola ex similitudine hoc non cognoscitur. Zielinskius quidem (Ph. 55, p. 593) ex ea efficere studuit, ut prior esset fabula Sophoclea, M. L. Earleus[1]), ut Euripidea. nemini potest esse mira eorum dissensio, defuit enim utrique certa diiudicandi nota. haec vero nunc nobis est data. nam qui viderit illam decessus descriptionem ab Eur. exhiberi sine ulla rerum inconstantia, a Sophocle autem ita, ut a multis tragoediae rebus abhorreat, nullo pacto iam poterit dubitare, quin Sophocles Euripidem imitatus sit.

sed hanc poetae certam imitationem interpretes parum observant, quoniam res inter se discrepantes ita tractabant, ut alii hanc alii illam rem per totam fabulam contenderent servari. Jebbius[2]) quidem ait de Herculis discessu hoc: „Heracles with

[1]) Studies in Sophocles' Trachiniens. Transactions of the Amer. Phil. Assoc. vol. XXXIII. (1902) p. 5—15.

[2]) Sophocles: the plays and fragm. V. the Trach., Cambr. 1892.

Deïanira, his children and his mother Alcmena is now (sc. post Iphitum necatum) forced to leave Tiryns. They are given a new home at Trachis by its king Ceyx (v. 38)." contrarium vero de tota fabula confirmat Adolfus Müller [1]), qui dicit: „Nach Herakles' Weggang [aus Tiryns] wird der größte Teil seiner Familie von Eurystheus vertrieben, nur Alkmene darf mit einigen Kindern in Tiryns bleiben, andere finden eine Zuflucht in Theben, Deïanira mit Hyllos beim Gastfreund Keyx in Trachis."

omnino autem quam Sophocles has res, quippe quae actae referantur nec multum ad ipsam actionem valeant, dilucide diligenterque excogitandas et illustrandas non curaverit, vel inde concludi potest, quod Lichas directa via a domino Trachinem mittitur, etiamsi fabula ineunte explanabatur Herculem nunquam Trachine versatum semper *ἀκήρυκτον* (v. 45) mansisse, quam ob rem, ubi sui essent, scire non potuit. sed poeta, quo modo Deïanirae domicilium comperisset, describere supersedit. hoc autem spectatores fugit, maxime Graecos, cum fabulis volgaribus illae res aliter fingerentur et ita quidem, ut Hercules arcte cum civitate Trachiniorum coniunctus (Ap. Rhod. schol. I. 1212 Diod. IV. 37. 38) illic milites ad Oechaliam oppugnandam conscriberet (Apollod. II. 77). tum quidem domicilium suorum satis novisse potuit; ita rem forsitan Creophylus vel Panyassis descripserint.

III. Ut poeta in Herculis, ita in liberorum fortuna describenda, sibi satis non constat. alter enim locus v. 54 sq. ita comparatus est, ut omnes liberi Trachine esse videantur, alter v. 1151 ita, ut Hyllus unus. namque nutrix ad dominam ait v. 54—55:

πῶς παισὶ μὲν τοιοῖσδε πληθύεις, ἀτὰρ
ἀνδρὸς κατὰ ζήτησιν οὐ πέμπεις τινά κτἑ.

hoc dici vix potuit, nisi liberi permulti aderant.

contra Hyllus ad patrem se unum ex liberis adesse dilucide dicit v. 1151—1156:

ἀλλ' οὔτε μήτηρ ἐνθάδ', ἀλλ' ἐπακτίᾳ
Τίρυνθι συμβέβηκεν, ὥστ' ἔχειν ἕδραν,
παίδων δὲ τοὺς μὲν ξυλλαβοῦσ' αὐτὴ τρέφει,
τοὺς δ' ἂν τὸ Θήβης ἄστυ ναίοντας μάθοις.
ἡμεῖς δ' ὅσοι [2]) πάρεσμεν, εἴ τι χρή, πάτερ,
πράσσειν, κλύοντες ἐξυπηρετήσομεν.

---

[1]) l. c. p. 231.

[2]) *ὅσοι* Jebbius recte explicasse mihi videtur, qui id verbum corruptum esse negans contra Nauckium dicit: The plural includes those who had accom-

at haec rerum repugnantia quomodo orta est? primum inspiciamus id, quod in fabula ineunte profertur Trachine liberos esse omnes. quod a poeta sic effictum esse mirandum non est. nam ex ipsa rei natura sequitur, ut Deïanira, si post Herculis discessum Tirynthe depellitur, una cum omnibus suis depellatur atque cum his alibi tectum quaerat. deinde hoc fabulae ineunti commodissimum est. nam Deïanira summa sollicitudine et angore cruciata, quoniam scit hodie (cf. v. 173—174) fore, ut tota fortuna et sua et Herculis (cf. v. 83—84) diiudicetur, nutrici omnia, quae sentit, copiose effundit [1], ac tanta pressa est anxietate, ut cum ipsa ne ullum quidem consilium capere possit, ab ancilla demum impellatur ad investigandum, ubi terrarum Hercules versetur. haec

panied Heracles from Euboea: cp. 1194 ξὺν οἷς χρῄζεις φίλων. ed. Trach. ad v. 1155.

[1]) igitur Deïanira de sorte sua non solum propterea dicit, quod spectatores de rebus certiores fieri necesse erat, — id quod Felschius Kaibelio auctore (Sophocles' Electra p. 65) contendit pag. 22 dissertationis suae, quae inscribitur: Quibus artificiis adhibitis poetae tragici Graeci unitates illas et temporis et loci observaverint. Vratisl. 1906 —, sed etiam idcirco adversa omnia, quae passa sit, reminiscendo et sibi et nutrici recognoscit, quod ipsa pro certo habet se h o d i e in summo discrimine versari. id solum Kaibelio et Felschio concedo scaenae condicionibus factum esse, ut illa non intra domum, sed ante domum conqueratur. optime vero de hoc Trachiniarum prologo dicit Leo (Der Monolog im Drama. Abh. Ges. W. Gött. 1908 p. 14): „Er ist kein Monolog, denn die alte Dienerin ist zugegen und antwortet; es ist kein Dialog, denn die Anrede fehlt. Die Rede ist nicht lyrisch, denn die Erzählung überwiegt; sie ist nicht episch, denn eine schmerzliche Selbstbetrachtung der Heldin und ihres Lebens durchzieht und bestimmt sie.“ deinde id ostendit p. 13. „daß Sophokles die monologische Rede im engeren und weiteren Sinne, nur für gesteigerten Affekt zuläßt; und darin liegt auch wohl die Erklärung dafür, daß er die monologische Prologrede nicht zugelassen hat.“ in Trachiniis autem Deïanira ab initio re vera summo animi motu concitata inducitur et ita prologum dicit. quare mihi quidem — aliter ac Leoni — hic prologus non minus ex ipsa Sophoclis arte quam ex Euripidis auctoritate et impulsu intellegendus esse videtur. Leo ipse: „Die innere Motivierung der Rede erinnert an die beiden der Orestie.“ et narratio eius epica nos monet non solum de arte Euripidea, sed etiam de tragoediis antiquioribus. cf. Bergk. Gr. Lit. p. 398. Oeri: Festschrift d. Basel. Phil. Vers. 1907. ne Euripidis apud Soph. auctoritatem augeamus, dicere oportet in prolog. Trach. suam propriam artem a Soph. esse servatam. nam in Eur. prologis homines nullam causam habent dicendi nisi dramaticam, in hoc autem prologo summo studio Soph. docuit, quibus de causis Deïan. quae dicit, eo ipso die dicat. Earleus quidem, qui demonstrare studuit l. c. p. 15 sq. Sophocli prologum Trach. cum scriberet, ante oculos versatum esse prologum Medeae Eur., vix ulli persuadebit.

autem eius tanta consilii inopia eo etiam clarius illustratur, quod quamquam liberos semper ante oculus habebat permultos, tamen eius animum ne tetigit quidem consilium ex eorum multitudine unius ad patrem mittendi. itaque poeta perapte nutricem de multis qui adessent liberis monentem fecit v. 54 sq.

at qua tandem de causa poeta hanc rem in fabula exeunte non retinuit? et expectas huius rei magnas causas, praesertim cum haud ita naturae consentaneum sit alios liberos homicidae nefandi cum Alcmena apud Eurytheum illum infestum remanere, alios Thebis procul a matre versari [1]), Hyllum autem Trachine esse unum.

sed in hac re Sophocles, si quid video, habuit gravem causam dramaticam. si enim fabula exeunte omnes liberi adessent, fieri non potuisset, quin omnes ii procederent, ut patris voluntates ultimas acciperent. circumstetissent igitur eum lamentatique essent de calamitate. quare opus fuisset versibus nonnullis, quibus spectatorum animi deducerentur ab illis, in quibus solis tota tragoedia vertitur. etenim post Deïanirae mortem iam non aliorum fortuna atque Herculis, Iolae, Hylli animos movere potest. ut ad hos totam audientium intentionem colligeret nec per alios dissiparet, poeta ceteros liberos prorsus non adesse finxit. ut vero hos certo consilio neglexit, sic omnino personas secundarum partium, cum postulatur condicionibus fabulae, neglegere solitus est (cf. infra B. IV—VII). intelleximus igitur idem, quod iam supra observavimus, a poeta, cum ad condicionem et effectum singularum partium praecipue spectaret, discrepantiam rerum esse admissam.

IV. De nulla alia Trachiniarum re tam multa conscripta sunt quam de vaticinio Dodoneo [2]), quoniam id tunc ante quindecim menses, tunc ante duodecim annos editum esse plurimis videbatur. sed re vera discrepantia illa non exstat, quod proximi Oerius [3]) et Stahlius [4]) accurate ostenderunt. namque qui cum

[1]) atqui poeta, si liberos praeter Hyllum omnino in aliis urbibus esse voluit, alias vix deligere potuit nisi Tirynthem, unde familia longo demum tempore post patris discessum expulsam esse fabula volgari ferebatur, et Thebas, Herculis patriam.

[2]) singulorum hominum doctorum, qui de hac re disseruerunt, libros et sententias congessit Eugenius Eckardt: de temporum ratione, quae Trachiniis fab. Soph. subest. Gymn. Progr. Salzwedel 1889.

[3]) Beitr. z. Verst. d. Trach., Berlin 1882.

[4]) De vaticiniorum in Sophoclis Trachiniis vi et sententia. ind. lect. Monasterii aest. 1899.

Stahlio singulos locos examinaverit v. 43—48, 76—85, 155—174 [647—654] [1]), 1159—1172, ex iis de tempore vaticinii nihil nisi hoc concludet: primum hoc ipso, quo fabula agitur, tempore ea, quae oraculo responsa sunt, exitum habebunt (v. 173 et 1169). deinde tabula ea, qua Hercules vaticinium inscripsit, ante quindecim menses Deïanirae tradita est (v. 157 sq.). nusquam autem scriptum est tum temporis oraculum a deo datum esse. tum tabula illa est *παλαιά* (v. 157). postremo vaticinium Dodoneum recentius est [2]) (v. 1165) quam alterum illud v. 1159—1163 commemoratum.

sed uno loco (v. 824—825) etiam scriptum est, quo tempore vaticinium responsum latum sit, sc. ante duodecim annos.

hanc rem verbis ceterorum locorum, qui de oraculo sunt, non repugnare iam satis probatum est. sed restant aliae difficultates. chorus enim scire nequit oraculum duodecim annis ante datum esse, cum huic Deïanira id quidem non dixerit. sed item a choro, quamquam in fabula a nullo accepit Hyllum ad investigandum patrem profectum esse, *μαστὴρ πατρός* appellatur v. 733: quare Jebbius de hac difficultate recte iudicavisse mihi videtur, qui dicit ad v. 824: „The answer is simply that this inconsistency of detail was overlooked by the poet; the term of twelwe years was in his mind, as a familiar part of the story.“

sed fortasse quaeret quispiam, quidni Soph. ut ceteris locis, ita v. 825 satis habere potuerit de vaticinio proferre aliud nihil

[1]) hic locus a Stahlio enumerationi inseritur, quamquam huc non spectat. chorus enim nulla vaticinii ratione habita dicit se Herculem *δυοκαιδεκάμηνον χρόνον* expectasse. haec autem verba aliam difficultatem habent. nam si Herc. per 15 menses aberat (v. 44 et 164), qui Trachiniae eum per annum potuerunt exspectare? quam ob rem Stahlius *δυοκαιδ. χρόνον* ad annum eum refert, quo Hercules in Omphalae servitute erat, ea autem verba inde a v. 653 *νῦν δ' Ἄρης οἰστρηθεὶς ἐξέλυσ' ἐπιπόνων ἁμερᾶν* ad tres eos menses, quibus ille Oechaliam oppugnasset. sed haec interpretatio artificiosior est quam verior; nam verba *νῦν δ' . . . ἐξέλυσεν* ad nullum aliud tempus respicere possunt nisi ad id, quo chorus ea dicit, sc. ad finem 15 mensium. chorus denique quocumque modo 15 menses dividebat, facere tamen non potuit, quin per totum id spatium opperiretur. equidem Nauckii, Jebbii aliorumque interpretationem retinere malim, qui *δυοκαιδεκάμηνον χρόνον* (= annum) rotundum numerum esse censent; nam si quis opperitur, ei non diligenter ac parce ab ipso discessus tempore usque ad reditum exspectare opus est.

[2]) sic illud *καινά* (v. 1165) intellegendum esse omnes, quod sciam, interpretes recentiores consentiunt; cur vero Stahlius Dobraeo auctore v. 1165 delere maluerit, non video.

nisi quid de eventu, ut inconstantiam illam vitaret. sed dixit certo consilio, opinor, etiam de tempore. chorus enim, qui de beatissimo vaticinii eventu non dubitavit, sed valde laetatur, Hylli nuntio praeter omnem opinionem gaudio suo destitutus est. quare admiratione vaticinii tam miri perculsus sollemniter ac feste verbis obscuris atque iis ad oraculum accomodatis celebrare id carmine incipit (v. 821 sq.):

ἴδ' οἷον, ὦ παῖδες, προσέμιξεν[1] *ἄφαρ*
τοὔπος τὸ θεοπρόπον ἡμῖν
τᾶς παλαιφάτου προνοίας,
ὅ τ' ἔλακεν, ὁπότε τελεόμηνος ἐκφέροι
δωδέκατος ἄροτος κτλ.

his poeta chorum, quaecumque ad vaticinium spectant, dicentem fecit. profert enim ille, a quo, quid, cui responsum sit. huc autem id quoque spectat, quo tempore deus id effatus sit, praesertim cum illa chori admiratio valde eo augeatur, quod vaticinium, quamquam ante longum tempus, sc. duodecim annos, editum est, tamen habuit illum exitum improvisum.

praeterea nonnullos offendit, quod Hercules vaticinium tum in bonam partem tum in malam interpretatur. nam cum a Deïanira discederet, testamentum reliquit, quasi moriturus abiret v. 155—175, sed idem postea dicit de oraculo cogitans: *κἀδόκουν πράσσειν καλῶς* v. 1173. accedit, quod chorus, etsi illam vaticinii tristissimam interpretationem a Deïanira v. 155—177 audivit, tamen exitu malo valde obstupefactus est v. 821 sq.

haec respicientes Henseus[2]) aliique Dobraeo (adv. II. p. 39) auctore v. 166—168 interpolatos esse censent et in editione Mekleriana cancelli remanserunt; alii vero, velut Wecklinus[3]) et Oerius[4]), eos tueri student. quibus assentior. nam vaticinio hoc

[1]) ad v. 821 Nauckius (app. ed.[6] p. 154) annotat: *προσέμιξεν* ist fehlerhaft; *προσέλαμψεν* vermutet O. Hense. uterque enim, Wecklino, Jebbio ceterisque interpretibus adstipulantibus, *προσέμιξεν* intransitive (= *προσῆλθε* ut Phil. 106) hoc loco proferri contendit ita, ut pron. *οἷον* ad *τοὔπος* referens vertat: quale ad nos acesserit vaticinium. at quidni possit *οἷον* obiectum esse verbo *προσέμιξεν*? tum quidem *πρόσεμιξεν* habet solitam suam vim transitivam; *τοὔπος τὸ θεοπρόπον* subiectum sententiae esse articulo facile cognoscitur; pronominis *οἷον* numerus singularis nos non offendit cf. Trach. v. 1048 et 1050 *τοιοῦτον-οἷον* et Krügeri Gr. Gram. § 43, 4. sententia est loco aptissima: quale divina vox nobis effecerit („hat uns zusammengebraut").

[2]) O. Hense: Studien zu Sophocles p. 32 sq., Leipzig 1880.

[3]) N. Wecklein: Ars Sophoclis emendandi p. 149 sq.

[4]) J. Oeri: Beitr. z. Verst. d. Trach. d. Soph. p. 35 sq.

fere responsum fuit: post duodecim annos Herculem omnibus aerumnis liberatum iri (cf. 825 sq. ceterosque locos). hoc ante eventum quidem et Hercules (v. 156 sq.) et Deïanira (v. 46 sq. v. 83 sq. v. 155 sq.) in utramque partem interpretantur, sed laeto nuntio et Herculis victoria in errorem ducti et Deïanira v. 200 sq. et v. 293 sq. et chorus v. 205 sq., v. 291—292, v. 297 sq., v. 633—663 et ipse Hercules v. 1171 suo iure in bonam partem. ita Sophocles assecutus est, ut post eventum vaticinii omnes summo gaudio destituti malo exitu oraculi maxime obstupefiant et opprimantur (Deïanira v. 813 sq., chorus v. 821 sq., Hercules v. 1157 sq.).

sed Henseus, ut ostendat v. 166—168 interpolatos esse, dicit (l. c. p. 32), si retineantur, versibus 821 sq. et 1159 sq. eandem rem molestissime iterari. ad quod haec tria dicenda sunt: primum in oraculo omnes fabulae res vertuntur, quare id saepius commemorari necesse erat. tum ea varia, de qua diximus, interpretatione vaticinii intentio spectatorum usque concitatur. denique Graeci sortibus oraculorum magis commovebantur quam nos. ergo dubitandum non est, quin a Sophocle et v. 166—168 profecti sint et vaticinium Dodoneum per singulas partes tragoediae apte describatur.

V. Discrepantia autem haud tam levis exstat in Lichae descriptione. namque ille pietate et caritate Deïanirae inductus consilium cepit eam de Iola, Herculis concubina, celare. hoc autem qua de causa dissimulet, ipse dicit ad dominam his verbis v. 480 sq.:

οὔτ᾽ εἶπε (sc. *Ἡρακλῆς*) *κρύπτειν οὔτ᾽ ἀπηρνήθη λέγειν,*
ἀλλ᾽ αὐτός, ὦ δέσποινα, δειμαίνων τὸ σὸν
μὴ στέρνον ἀλγύνοιμι τοῖσδε τοῖς λόγοις,
ἥμαρτον, εἴ τι τήνδ᾽ ἁμαρτίαν νέμεις.

ac de concubina tacere ei tam grave est, ut etiam periuret neque ad verum enuntiandum moveatur nisi summa Deïanirae opera ac labore.

ab hac autem ratione cautissime silendi plane discrepat, quod idem Iolam concubinam esse Herculis antea coram toto Maliorum populo uberius pronuntiavit atque id etiam iureiurando affirmavit (*ἐπώμοτος* v. 427). quae omnia eum dixisse nuntius dominae prodit v. 351—374, v. 379—383, v. 423—424, v. 427 sq. et ipse Lichas ea vera esse non negat v. 475: *ἔστιν γὰρ οὕτως, ὥσπερ οὗτος ἐννέπει.* quae cum ita sint, ille nequaquam sibi constat. hanc autem discrepantiam Zielinskius ita explicare studuit, ut Licham Deïanirae incognitum esse et ab eo illud consilium

dissimulandi primo demum aspectu feminae captum esse contenderet. quam interpretationem et a rerum natura et a verbis ipsius poetae abhorrere supra (p. 10 ann. 2.) demonstravimus.

hac opinione abiecta iterum exquirendum est, quomodo illa repugnantia exstiterit in Licha describendo. quaestio autem est de v. 141—496. quae tragoediae pars ad animos spectantium movendos aptissime composita est, cum vicissitudines inter tristitiam Deïanirae et laetitiam praeclare depingantur. quattuor autem partes inter se distingui possunt. primum summa Deïanirae dubitatio ac maeror v. 141—178, deinde per laetum victoriae nuntium et Licham de aemula silentem maximum gaudium et illa dulcis ac secura Iolae allocutio v. 179—334, tum vero per nuntium illum, qui Iolam esse Herculis concubinam prodit, angor et dubitatio v. 335—472, postremo aperta Lichae professione certa res et desperatum illud ac perniciosum Deïanirae consilium v. 472—496.

haec igitur fabulae pars (v. 141—496) ad summum in scaena effectum instituta est. quis est, quin pulchritudinem eius laudet? sed poeta hanc pulchritudinem, praesertim Lichae nuntiique altercationem, parare non potuit nisi eo, quod Licham et consilium illud tenellum de Iola concubina tacendi capientem fecit et eundem id alicui antea pronuntiantem, ut aliquis adiret et laetum nuntium allaturus et postea verum detecturus. igitur ad scaenam tam artificiose componendam non dubitavit discrepantiam admittere inter ea, quae Lichas extra scaenam facit, et ea, quae intra, ut affectuum Deïanirae varietate et duorum illorum altercatione, quibus Attici delectari solebant, maxime moveret animos spectatorum.

VI. Deinceps de ea rerum discrepantia mihi dicendum est, quam poeta admisit, cum v. 731 sq. Hyllum in scaenam induxit. nam qui tandem ille a se impetrare potuit, ut patrem emorientem (*βρυχώμενον σπασμοῖσι* v. 805) desereret idque ad lectum Trachine parandum (v. 901—902)? nonne in Euboa fuerunt tales? postea quidem Herculem lecto quodam, ab Hyllo non apportato, in scaenam inferunt (v. 965—970, v. 1005—1006). quidni servum quendam id afferre iubet ipse remanens apud patrem morbo pereuntem?

est igitur praeter omnem rerum naturam, quod ille Trachinem procurrit. sed eo loco (v. 734 sq.) procedit, quo spectatorum animos valde movet. nam Deïanira virus Nessi perniciosum esse vixdum opinari coepit, ut summo angore premeretur, cum Hyllus necopinato prodit, virus illud patri perniciem iam intulisse nuntiat, exsecratur ipse filius suam matrem! sed non solum ad *πάθος*

augendum Hyllus adest, verum etiam ut Deïanirae sit hac quoque re maior causa mortem sibi consciscendi, cum sua sponte appareat multo minus eam percelli narratione alicuius nuntii quam sui filii diris vocibus. atque ita hic actus animos percutit, ut vix quisquam de causa tenui ea quaerat, cur Hyllus Trachinem venerit, praesertim cum ea non hoc loco proferatur, sed in proxima parte v. 902 suppleatur, ubi perapte — hac in re cognoscis elegantem Sophoclis manum — ab ancilla describitur, quomodo Deïanira se ipsa interfectura filium suum patri lectum parantem conspiciat et flere vehementius incipiat v. 902 sq. itaque de hac re dicendum est idem, quod saepe animadvertimus, singulas partes ad effectum in scaena magnum commodissime esse institutas neglectis condicionibus rerum ipsarum.

VII. Venio ad eas res inter se discrepantes, quas Sophocles admisit, ut actionem finibus unius diei aptaret. sed hac in re, cum fusius de ea nuper disputaverit Guilelmus Felsch [1]), summa attingere satis habeo. ut igitur res fabulae in unum diem congruerent, poeta praeter naturam effingere coactus est haec: primum Hyllus viam illam inter Trachinem et Euboeam uno die bis permetitur atque etiam Herculem eodem die, quamquam morbo gravi cruciatur, ex Euboea Trachinem ferunt. tum vero homines Trachine, oppido ab Euboea tam prope sito, per tres menses ne incerta quidem fama aliquid de bello, quod in insula ea gerebatur, perceperunt nisi post Oechaliam urbem iam expugnatam. haec omnia non sunt verisimilia. sed res eas epici quidem poetae seu Creophylus seu Panyassis sane ita versibus persequi potuerunt, ut eas per longum tempus aliam post aliam peractas ante oculos ponerent, tragico autem poetae sic contrahere eas et illustrare necesse erat, ut spectatores accipiant uno die et quae antecesserint et quae fiant. ita fabulas esse instituendas Sophoclis tempore constabat.

---

[1]) l. c. (cf. p. 17 ann. 1.). sed hic fabulam ineptiorem reddit quam est. nam v. 74—75 haud recte interpretatur, cum dicit p. 23: „verbo μέλλειν illum (sc. Hyllum), ubi Hercules versaretur, iam multo ante comperisse apparet. nam hoc die, quo Hyllus de patre loquitur, is non iam Oechaliae „moratur“ (μέλλει, v. 75), sed iam pridem (!) expugnavit.“ sane id quidem esset ineptissimum, si Hyllus, quamquam iam pridem sciebat, ubi pater degeret, ne uno quidem verbo per longum tempus de ea re cum matre communicasset. sed huius discrepantiae poeta ipse reus non est. nam v. 74—75 aliter intellegendi sunt ita, ut Hyllus incerto quodem rumore, cf. v. 67, acceperit patrem in Euboea bellantem versari, sed pro certo nondum habeat, utrum Oechaliam iam sit agressus an aggressurus. hoc fortasse brevissimo tempore ante accepit.

VIII. Restat, ut de iis rebus inter se discrepantibus dicam, quas poeta irrepere sivit, ut res fabulae ad certum consilium dirigeret et propere ad finem perduceret. qua in re praecipue de v. 663—820 disputandum est. quos si legimus rerum naturam observantes, facere non possumus, quin quaeramus: quidni Deïanira, quippe quae venenum nociturum esse senserit, v. 663—733 cogitat de consilio perniciei praecavendae, ut in Aiace fabula chorus, in Antigona Creon? quidni chorus Deïaniram abeuntem v. 813, quoniam mortem sibi eam conscituram esse haud ignorat (cf. v. 586—587 et v. 719—729), de fato consolatur praemonetque, ne se ipsa interficiat? quidni idem Hyllum, quem suam matrem tanta saevitia tantoque errore exsecrantem audit, de errato docet? haec omnia interrogantibus nobis nihil aliud responderi potest nisi Sophoclem eo spectasse, ut Deïanira omni culpa carens et ab ipso filio devota nulla re prohiberetur voluntaria nece decedere. atque haec, tam brevi tempore deinceps acta, animum valde percutiunt. accessit, ut Sophocli hanc agendi celeritatem ob eam quoque causam efficere necesse fuerit, quod post mulierem mortuam etiam Herculem in scaenam induxit. nam huic quoque alteri fabulae parti et tempore et spectatorum intentione opus erat.

IX. Iam singulas Trachinarum res inter se discrepantes satis exposuisse mihi videor. apparuit igitur unamquamque earum rem utique suo loco commodissimam esse et ad certum quendam partis effectum receptam. unde aperte cogitur, ut hae res inter se discrepantes sint inter eas, quibus poeta maxime animos movere studuit. ergo cognoscentes, quo consilio, ad quem effectum singulas eas admiserit, intellegimus, qui effectus, quae consilia ei gravissima esse visa sint, tam gravia videlicet, ut etiam rerum discrepantiam eorum causa reciperet. ut autem haec, quae singulis capitibus illustravi, uno conspiciamus aspectu — quod his propositis certe operae pretium esse concedes —, totam fabulam perlustrabo, cum summas res, quibus aliqua discrepantia subest, brevissimis verbis attingo; ut autem significem, quae cuique rei discrepantia subsit, singulorum capitum numerum inter cancellos adscribam.

v. 1—177. ineunte igitur fabula spectatores ad misericordiam Deïanirae et studium adduci poeta voluit maxime eo, quod ea, per longum tempus Herculis uxor, coniugem valde amat et ab eo summa fide amatur (I) et cum liberis hospitio recepta

(II. III) consiliique plane inops (III) dubio rumore de Hercule certior fit (VII).

v. 178—530. proxima parte artificiosam scaenam componere studuit ita, ut affectuum Deïanirae varietate atque altercatione Lichae et nuntii animos magnopere moveret (V). quare primo Herculem victorem rediturum esse pronuntiatur per eundem illum, cui Lichas Iolam dominae esse aemulam sibi non constans prodidit. tum nuntius Lichae consilium detegit et hic ad verum dicendum altercatione illa summoque Deïanirae studio commovetur idque maxime eo, quod domina de multis aliis concubinis non sit irata (I).

v. 531—946. deinde poeta id potissimum egit, ut consilium illud perniciosum a Deïanira non temere caperetur, sed considerate; temeritatem autem mulier opprimere facile potest, ut quae permultas aemulas iuxta se esse iam siverit (I). tum per Hyllum subito advenientem (VI) mater valde concutitur atque a culpa vacua et a suo filio devota perducitur ad mortem sibi consciscendam (VIII). postremo, quomodo a cubiculo coniugali discedat ipsaque se interficiat, quam summo effectu discribitur (II).

v. 947—1178. intentio spectatorum ad Herculem, Iolam, Hyllum solos cogitur (III).

iam habes eas res, quibus aliqua discrepantia rerum subest, breviter enarratas atque mirum in modum harum enarratione — id quod notatu dignissimum est — simul adumbrationem totius fere fabulae argumenti. qua re, ut puto, confirmatur illud, quod supra dixi: ad has res praecipue poetam intendisse cogitationem atque operam, ut his, etiamsi rerum discrepantia exsisteret, ea, quae sibi proposuit, ante oculos spectatorum poneret.

atque proficiscerer ab his rebus inter se discrepantibus, si meum esset de iis quaerere, de quibus hodie disputare solent quaerentes, quae sit persona princeps, quali ingenio moribusque homines describantur, quid opere suo poeta docere voluerit.

X. Hucusque omnibus fabulae discrepantiis perlustratis eas quoque res animadverti necesse erat, quas Sophocles recepit, cum alium quem poetam perperam imitatus est. sed quatenus non suspicari solum, sed aliquid certi potuimus eruere, talia ei non irrepsisse videbantur nisi haec: duobus locis aliquid ex historia fabulari, uno loco ex alia tragoedia. tum prologus similis quidem est Euripideis, sed tamen propria Sophoclis arte perfectus (cf. p. 17 annot. 1). deinde multos Trach. locos genere dicendi

prope accedere ad Euripidis dictionem consentaneum est. nonnullos congessit Earleus maxime ex Alc. et Med.; sed de his rebus disputare meum non est, cum ex consilio commentationis meae sit minus de dictione quam de arte dramatica disputare.

sed postquam Wilamowitzius (Her. p. 343 sq. et 382 sq.) suspicatus est Euripidis Herculem furentem esse conditum Trachiniis priorem [1]), Sophoclem ex Euripidis Hercule multa in suam tragoediam traduxisse student ostendere. et sunt tragoediarum nonnullae res inter se persimiles, quas apud Sophoclem quidem arctissime et perapte cum argumento condicionibusque fabulae coniunctas esse ostendam. Dieterichus [2]) optime demonstravit multis rebus inter se similes esse senem eum, qui in Trachiniis Herculem emorientem comitatur, et Amphitryonem Herculis furentis. sed hinc effici posse illam Trachiniarum partem ex fabula Euripidea pendere nego. perperam quidem Soph. nihil assumpsit. nam aperte necessarium erat aliquem praeesse iis, qui Trachinem transferebant Herculem aegrotum. in locum Lichae mortui, cuius hoc fuisset, ex multitudine comitum successit senex ille, qui cavere studet, ne dominus ex somno excitetur. id vero praeclare et eleganter a Sophocle descriptum est. audias modo Zielinskium, qui de v. 971—993 cum alia tum haec dicit (l. c. p. 630): „Wo ist hier auch nur ein Wort, das nach Absicht schmeckte? Hyllus kann seinen Schmerz nicht bezwingen, denn er ist der Sohn; er braucht es auch nicht, da er den Vater für tot, nicht für schlafend hält; der Alte kann es, denn er ist nur der Pfleger; er muß es auch, da er vom Schlafe des Helden weiß."

deinceps de sopore Herculis mihi dicendum est, de quo Zielinskius artis medicinae haud imperitus sic iudicat p. 629: „Während er bei Euripides ein rein äußerlich und willkürlich durch ein göttliches Wunder motiviertes Moment ist, erscheint er bei Sophocles als ein korrektes und den Voraussetzungen ent-

[1]) hoc diiudicare perquam difficile est, quod uterque poeta arte satis eleganti — aliter atque Alexandrini vel Romani — ea ratione omnibus rebus uti solet, ut fabulis suis optime conducant, optime certe Sophocles. sed quam incerta sit Wilamowitzii opinio, demonstrat Zielinskius p. 621—632 (Ph. 55). atque utriusque argumenta mihi enixe perscrutato tota quaestio videtur denuo aggredienda. quod cum meum hoc loco non sit, satis habeo demonstrare Sophoclem, si omnino Herculem Euripideum imitatus sit — de qua re equidem dubito —, perperam certe non esse imitatum.

[2]) Mus. Rhen. XLIII. p. 20 sq.

sprechendes pathologisches Symptom." his aliud argumentum addo, quo somnum in Trachiniis non solum peraptum sed etiam necessarium esse coargui puto.

qui tandem Hercules in Cenaeo promontorio sic saeviens, sic lamentans, quoniam tanti doloris stimulis cruciatur, portari potuit per viam tam longam nisi somno artissimo quietus! deinde quam verum, quam praeclarum est illud, quod Trachine depositus sopore excutitur et quaerit *ὦ Ζεῦ, ποῖ γᾶς ἥκω κτλ.* haec quidem omnia pulchritudine elegantiaque certe paria sunt Herculi Euripideo, qui furendo fessus humi conlabitur.

ne cum Schmidio quidem consentire possum [1], qui Sophoclem etiam in pravis hominum moribus describendis aemulari Euripidem contendit. persuasum enim ei est Deïaniram esse „eine bei aller ‚Anmut' doch in ihrer Kopflosigkeit nahezu ‚karrikierte' Frauenfigur". talis si est, talis ab ipso poeta descripta, Sophocles nimirum Euripidem imitabatur. at malim Erwino Rhode [2] adstipulari, qui eam dicit „die innigste Frauenseele, die Athens Bühne beschritten hat" [3]. iam satis, quod volui, demonstrasse mihi videor omnia ea, quae rebus Herculis furentis similia sint, tam arcte eleganterque cum argumento fabulae Sophocleae esse conexa atque ita ad condiciones singularum partium accomodata, ut Soph. nulla re sine ulla dubitatione possit coargui imitator aemuli. igitur ex mea sententia haud recte de Trachiniis iudicat Schmidius, cum dicit (l. c. p. 320): „Also euripideischer Verismus, Einzelheiten euripideischer Gedanken und Formen bei sophokleischer Struktur — wer für dieses Oxymoron den Erklärungsgrund findet, hat das merkwürdige Stück verstanden." immo fabulam de Euripidis arte securi satis intellegere possumus.

quomodo autem meo iudicio „mira" fabula Sophoclea sit intellegenda, hac extrema commentatione ostendere conabor, qua, quid ex iis, quae explicavi, colligi oporteat, exponam.

XI. Colligimus igitur in Trachiniis fabula graves esse res inter se discrepantes nequaquam tollendas, sed inde ortas, quod poeta ad effectum alium alio loco spectans rerum naturam constantiamque neglexit. quod interdum ita factum est, ut istarum rerum altera toti fabulae necessaria ab ipso poeta fingeretur, al-

[1]) Christ-Schmid: Gesch. d. griech. Lit. I. 1. (1908) p. 319.

[2]) Psyche [3] II. p. 236.

[3]) similiter illam laudat Wilamowitzius Her. I² p. 384.

tera ad effectum in scaena magnum accomodata e fabula volgari vel ex alia tragoedia irreperet.

est autem scaenicorum poetarum haec duo simul respicere et ea, quae condicionibus rerum ipsarum postulantur, et quae condicionibus scaenae. atque haec duo in unum sic coniungere et confundere, ut nulla restet discrepantia, eorum est et summum et difficillimum munus. hoc a Sophocle non satis expletum esse facere non possumus quin confiteamur.

immo neglexit interdum rerum condiciones, curavit actionem quam elegantissimo ordine ac ratione promovendam et singulas partes ad effectum quam summum instituendas omnesque res in scaena quidem praeclare illustrandas. haec poetam perfecisse dicamus necesse est; et eam ob causam res inter se discrepantes parum animadvertuntur, quoniam cum legentium tum spectantium animi rapiuntur singularum partium effectu.

hinc vero id quoque intellegi posse opinor, cur Trachiniarum aestimatores et iudices plane inter se dissentiant. alteri enim fabulam valde laudant, alteri magnopere vituperant, atque ab utraque parte stant critici sane perpoliti eruditique, pares adversarii [1]). haec autem dissensio sic orta videtur, ut rerum condiciones, quas poeta neglexit, et scaenae condiciones, quas observavit, non distinguerentur. quare cum de tota fabula in universum diiudicarent, non potuerunt nisi aut laudare eam aut vituperare. alteri enim rerum naturam praecipue observantes tragoediam non potuerunt nisi castigare, alteri ad effectum in scaena summum spectantes, suo iure eam laudaverunt.

---

[1]) singulorum hominum doctorum utriusque partis nomina permulta accurate enumerat Rupertus Schreiner: Zur Würdigung d. Trach. d. Soph. Progr. Znaim 1885. velut Bergkius castigator (Gri. Litg. III p. 394 sq.) stat contra Schneidevinum laudatorem (Abh. Ges. Wiss. Goettingiae 1856 p. 7 sq.).

B. de Antigona.

I. de sepultura Polynicis.
II. a. de edicto Creontis.
b. cur serores in scaenam ineant.
III. de sepultura Eteoclis.
IV. de Ismena.
V. de Haemonis amore.
VI. de Eurydica.
VII. de morte Megarei.
VIII. de versibus 904—912.

I. Ut fabulae Trachiniarum, sic Antigonae res ita dissolvemus et percensebimus, ut quo consilio Sophocles unamquamque inconstantiam admiserit, cognoscamus.

ordiamur autem a difficillimis quaerentes, qua ratione sepultura Polynicis describatur. huic descriptioni quae subsint difficultates, uberius nuper ostendit A. B. Drachmann[1]). moleste vero ferebam, quod Heduvica Jordan, quae brevi post de Antigona eleganter disseruit[2]), etsi viri doctissimi opinionem novit, non tractavit istam rem, quamvis sit idonea cum ad ipsam fabulam, tum ad artem Sophoclis recte percipiendam.

iam dicamus de re ipsa. difficultates sunt hae. Antigona corpus fratris bis texit tenui pulvere iustaque persolvit. haec ratio humandi et duobus locis dilucide exponitur (245—47; 429—31) et alteri fabulae parti necessaria est. quoniam tali, non alia ratione sepulturae fieri potuit, ut corpus bestiis tangeretur ac laceraretur (1016 sq; 1080 sq; 1189).

Drachmannus autem suo iure censet his nonnullos locos repugnare, quibus alio modo Polynicem sepultum esse significetur. graviores eorum, quos vir doctus expedivit, huc affero, cunctos infra pertractabo.

---

[1]) Zur Comp. der soph. Ant., Herm. XLIII p. 67—76 (1908) et XLIV p. 628.

[2]) Hedwig Jordan: Sophocles' Antigone, N. J. (1909) p. 81—98.

plurimum valere ad opinionem suam fulciendam illi videtur custodis narratio v. 249 sq. dicit enim iste de corpore: ὁ μὲν γὰρ ἠφάνιστο (255) ac perinde quasi ei, qui humasset, curru, ligone similibusque instrumentis opus fuisset, expressis verbis talium rerum vel bestiarum vestigia cerni potuisse negat (249—54, 257—58). si autem corpus tenui pulvere tantum erat conspersum, ne cogitare quidem custos debuit de istis vestigiis, cum perquam facile id ab uno homine sine ullo instrumento confectum esse appareret; debuit autem de istis cogitare, si Polynices re vera sepulcro conditus fuisset.

eodem pertinent alia, quae cum ea ratione, qua humavit Antigona, parum concinere concedendum est. chorus sepulturam opinatur esse ἔργον θεήλατον (278) idemque tam difficilem eam esse putat, ut carmine (332 sq.) hominum versutiam celebret; ac simile quid de sepultura Creon cogitat, cum complures eius fuisse auctores suspicetur (280—326, 488 sq.).

maxime vero ad veram sepulturam referendi videntur ii versus, quibus Haemon, quid populus de ea sentiat, Creonti declarat: Antigonam ea fratris corpus a bestiis tutatam esse v. 696 sq. haec verba, quacumque ratione interpretatus eris, multo melius referri concedes ad sepulturam perfectam quam ad pulverem tenuem, quo soror fratrem obtexerit [1]). iam apparere existimo fabulae res eo inter se discrepare, quod tum Polynices conspersus dicitur tenui pulvere, tum nonnullis locis significatur eundem esse sepulcro re vera conditum. hac in re facio cum Drachmanno, sed nequaquam assentiri ei possum retractatione fabulae discrepantiam explicare conanti. neque enim aliter eam intellegi posse sibi persuasit, nisi commutata esset fabula atque id ab ipso Sophocle, quem suspicatur primo tragoediam ita instituisse, ut Antigonam corpus in sepulcrum surriperet ibique condens deprehenderetur, deinde, priusquam opus ad finem perduxisset, sic permutasse, ut corpus in speciem sepulturae pulvere spargeretur.

hanc viri docti opinionem prius refutare cogor, quam qua ratione illa discrepantia mihi videatur recte explicanda, exponam. vel inde suspicio exsistit fabulam non esse retractatam, quod al-

[1]) fieri sane potuit, ut Soph. de fascinatione quadam eo loco cogitaret, ita sc., ut Pol. pulvere quasi sacro veneno ab animalibus esset tutus. sed id ei non fuisse gravissimum vel inde patet, quod alteram fabulae partem sic instituit, ut eo pulvere bestiae non averterentur a corpore. haec infra fusius explicabo.

tera tragoediae pars posita est in ea sepulturae ratione, qua soror reapse est usa. id ipse Drachmannus concedit, qui p. 71 l. c. dicit haec: „Der ganze Schluß der Tragödie, von der Tiresiasszene an, ruht auf der Grundlage, daß Polynizes noch unbestattet daliegt, und zeigt keine Spur einer Umarbeitung.“ igitur sola pars prior esset commutata. huius locos singulos deinceps perscrutemur ac primum quidem eum, quo luculentissimum retractationis indicium dari viro docto persuasum est, sc. v. 245 sq. imprimis agitur de versibus 245—258. ad quos annotat Drachmannus p. 72: „Daß dies Unsinn ist, brauche ich wohl nicht näher darzulegen; zum Teil wird es auch von den Erklärern selbst zugegeben, zum Teil geht es aus ihren Erklärungsversuchen hervor. Weder Hacke noch Spaten noch Wagen waren bei dem vorgefundenen Tatbestand irgendwie zu erwarten, und die Bemerkung, daß keine Spuren von Hunden oder Tieren vorhanden waren, fällt ganz aus dem Zusammenhang. Alles wird aber klar und einfach, sobald man sieht, daß der Bericht des Wächters in dem Satz gipfelt: Die Leiche war spurlos verschwunden. Spurlos: sie war weder an Ort und Stelle vergraben, noch zu Wagen abgeholt, noch von Tieren verschleppt.“ ea Drachmanno concedo. est sane ineptum tantis ambagibus ista consectari, cum nihil factum esset nisi corpus pulvere tenui tectum. at videamus, quibus condicionibus ea proferantur quaerentes, quem, qua de causa Sophocles illa dicentem fecerit. nuntius autem ille loquitur, qui tanta est calliditate et nequitia, ut versutiorem, ne severitas et ratio artis tragicae violaretur, induci vix licuerit. etenim sui servandi causa oratione artificiosa omnia sic convertit praesertim, cum ineat et decedat, ut Creonti non possimus non assentiri, qui eum valde indignatus castigat his verbis (320): *οἴμ' ὡς λάλημα δῆλον ἐκπεφυκὸς εἶ.* hic vero, cum illam de sepultura narrationem profert, in quo versatur periculo et discrimine? custos corporis erat iussu Creontis. id eo non observante pulvere tectum est. vereri debuit, ne a tyranno rigidissimo necaretur. itaque qua est versutia, omnem operam eo confert, ut sine ulla sua culpa Polynices sepultus videatur. factum igitur illud, quantum potest, ita describit, ut quasi miraculum id esse ab hominibus nequaquam perficiendum, sed deis tribuendum (cf. 254 *θαῦμα δυσχερές*) omnes sibi persuadeant; nam quo magis erat sepultura mirifica, eo facilius videbantur custodes innocentes. eam ob causam nullum vestigium facinoris adesse summo studio contendit neque currus nec

ligonis nec bestiarum, etsi qua ratione erat sepultum, talia suspicari eum necesse non erat. quin etiam eo procedit exaggerando, ut audeat dicere: ὁ μὲν (sc. Polyn.) γὰρ ἠφάνιστο, τυμβήρης μὲν οὔ (255). ad haec Drachmannus annotat p. 73: „So klar wie hier liegt meines Wissens die Umarbeitung sonst nirgends zutage.“ et esset huius versus una pars (τυμβήρης μὲν οὔ) retractatione fabulae inculcata, altera (ὁ μὲν γὰρ ἠφάνιστο) remansisset ex tragoedia Sophoclis priore, a Drachmanno ficta. sed nequaquam est verisimile a Sophocle in unum eundemque versum gravem discrepantiam receptam esse per retractationem. — prorsus aliter nos interpretamur locum, quibus condicionibus proferatur observantes. nuntius enim ille gravi eo de quo diximus angore pressus summo augendi studio abripitur eo, ut corpus undique pulvere conspersum (haud scio an sic, ut oculis vix iam potuerit conspici cf. 409 κατεῖχε) contendat esse e conspectu elapsum verbis: ὁ μὲν γὰρ ἠφάνιστο. subito vero, ubi hoc pronuntiavit, cum ipse se vero non stetisse deprehenderit, affirmat, quod antea iam elocutus est (245—248): τυμβήρης μὲν οὔ.

quid multa? quaecumque facit verba nuntius, recte omnia stare intellegimus, simulatque, quis qua in causa faciat observavimus [1]). non igitur est ex ea narratione concludendum fabulam esse retractatam, sed artem Sophocleam eo loco ad vitam vividam et veram proxime accedere.

deinde vir doctus argumento carminis (v. 332 sq.) suspicionem retractationis fulciri asseverat his verbis p. 67: „Weniger passend sind die einleitenden Betrachtungen über die δεινότης; was geschehen ist, zeugt eben von keiner besonderen Erfindsamkeit, . . . es wird von der eben berichteten Tat in einer Weise gesprochen, die zum Charakter derselben nicht stimmt.“ multi etiam omnino negant argumentum carminis cum iis, quae antecedant, satis cohaerere. hac in re consentiunt Corssenus [2]), Guilelmus Schmid [3]), Bruhnius [4]), Heduvica Jordan [5]). id autem maxime premunt, quod chorus, qui sepulturam opinatur a deis esse confectam

---

[1]) ne ex verbo quidem θοὔρμαιον (397) effici licet, qua ratione Ant. sepeliverit vel sit deprehensa (cf. Herm. 44, 628); nam ἕρμαιον idem significare potest, quod εὐτύχημα — ut haud raro apud Platonem.

[2]) Corssen: Die Antigone des Sophocles, ihre theatralische und sittliche Wirkung p. 34. Berlin 1898.

[3]) Schmid: Probleme aus der Antigone. Phil. 62. p. 13.

[4]) E. Bruhn: in ed. Ant. (Berolini 1904) ad v. 332—375.

[5]) l. c. p. 85.

(*θεήλατον*), postea tamen hominum celebrat versutiam [1]). sed respicienda sunt haec: exeunte carmine id profertur, quod poetae gravissimum esse videbatur atque — ut Bruhnii (ad. v. 365) verbis utar — „zu dem alles Vorhergehende in einem konzessiven Verhältnis steht". profitetur enim chorus v. 367—375 se ab eo, qui leges violet, abhorrere. totum quod antecedit episodium de tali est peccato, dubium non est, quin ad id spectet carmen extremum. at qui potest is, qui facinus illud deis tribuendum arbitratur (v. 278), dicere de hominibus? qui hinc efficiunt de his chorum sine ulla causa probabili dicere, plane neglegunt, quae ille inde a v. 278 usque ad v. 331 comperit. acerrime enim is castigatur ob eam de opera deorum opinionem a Creonte (280—289). hic vero prorsus alios esse sepulturae auctores ratus corruptos ducit custodes (289 sq.) ac nuntius ipse se de homine quodam facinoris auctore cogitare significat, cum abiens dicit (327): *ἀλλ' εὑρεθείη* (sc. is qui sepelivit) *μὲν μάλιστ', ἐὰν δέ τοι ληφθῇ τε καὶ μή, τοῦτο γὰρ τύχη κρινεῖ, κτλ.*

omnes igitur chorus vidit illam de divina facti origine sententiam missam facientes; nonne ipse quoque habet suam causam cogitandi de origine humana celebrandique propterea hominum versutiam? huius igitur carminis argumento, mea quidem sententia, non neglegentur praecepta ea, quae Aristoteles de tragoediis statuit, sc. inter chorum et actores aliqua ratio intercederet oportere [2]).

sed unum reliquum est, ut explicemus, cur chorus tantummodo extrema carminis parte nonnullis verbis aperte sepulturae auctorem respiciat, reliquis autem partibus isto peccato quasi ex oculis amisso contemplationibus in remotissima fastigia abeat,

[1]) cf. praesertim Schmid, Phil. 62. p. 12. is, quod multi sentiunt, sic pronuntiat: „Wie kommt der Chor zu solchem Ausdruck der Bewunderung über die *σοφία* und *δεινότης* der Menschen und ihrer Kultur? Wo die Herausgeber über d. Zushg. an dieser Stelle überhaupt ein Wort sagen, da lassen sie den Chor sich über die Kühnheit des Bestattungsversuches verwundern (Wolff-Bellerm. 332 sq. Schneidewin-Nauck 365); aber der Chor hält ja bis zur Vorführung der Antigone (cf. v. 376) das vom Wächter geschilderte Ereignis für ein *θεήλατον* (279), und es wäre doch überhaupt lächerlich, die einfache Umgehung der Wächter vor Sonnenaufgang als ein Werk ausbündiger menschlicher Erfindungskraft zu preisen und sich dadurch zu Reflexionen über das Werden und Wachsen menschlicher Kultur angeregt zu fühlen.

[2]) cf. Aristot. de arte poet. 1456 a 26 sq. Schol. Ar. Ach. 440. Hor. de arte poet. 193—194.

ut universi generis humani indolem et historiam complectatur. id vero plane intelligitur ex usu stasimorum I. Sophocleo; quem Draheimius [1]) breviter tetigit in recensione commentationis a Rahmio [2]) de choro Sophoclis scriptae, cum dicit: „Zu dem ersten Stasimon der Trach. macht der Verfasser (sc. Rahmius) die richtige Bemerkung, es stehe an einer Stelle der Handlung, wo diese sozusagen auf einen toten Punkt angelangt sei. Diese Bemerkung gilt für das erste Stasimon überhaupt. Meist ist der Chor allein, nämlich in Ai., Phil., Ant., Trach., Oed. König; in den beiden andern Stücken wendet er sich an Elektra und an den alten Ödipus; so hat er Gelegenheit, sich allgemeiner auszusprechen, und man kann sich denken, daß das erste Stasimon als ein Glanzpunkt der Aufführung mit einer gewissen Spannung erwartet wurde." hoc Draheimio libenter concedo, praesertim cum qua de causa sic sint instituta stasima prima, liqueat. etenim prologo et episodio primo illustratio *τῶν προπεπραγμένων* ad finem perducta est [3]), et exspectant auditores summa intentione, qua ratione actio e rebus explicetur. itaque duabus de causis spatio quodam temporis opus est, cum ut audientium animi inter metum et spem fluctuantes aliquo modo respirent, tum ut cogitari possit res quasdam actioni necessarias extra scaenam interim esse actas, velut in Ant., quomodo diu custodes sepelientem opperiantur et deprehendant. id temporis maxime idoneum est, quo exhibeantur ea chori carmina, quae ad alta, sublimia, magnifica spectatorum animos attollunt; velut Trachiniarum stasimum I. celebrat Amorem, deorum potentissimum, Aiacis Salaminem insulam, Oed. regis oraculum Delphicum, Oed. Colonei Atticae amoenitatem et splendorem [4]). in hoc numero aptissime inseritur stasimum I. Antigonae, quod laude effert omnium hominum *δεινότητα*. — sed non solum quid celebret, verum etiam qua ratione celebret, explanari licet. ita enim compositum est, ut explicetur, quo modo genus hominum a fera et rudi vita ad summum cultum ascendat inventionibus suisque artibus. has autem sententias tali forma instructas temporibus

---

[1]) Wkl Ph. (1907) Nr. 33 p. 899.

[2]) Rahm: Über den Zusammenhang zw. Chorliedern und Handlung in d. erh. Dramen d. Soph. Progr. Sondershausen 1907.

[3]) cf. etiam Detscheff: de tragoediarum Graecarum conformatione scaenica et dramatica (diss. Götting. 1904) p. 98.

[4]) ex nostra quidem doctrina hoc carmen O. C. stas. I. appellatur, non ex Aristotelica, quod infra exponam (C init.).

Sophistarum viguisse inter omnes constat [1]. ergo condicionibus ineuntis tragoediae, usu stasimi primi Sophocleo saeculique illius in philosophia ratione expositis satis docuisse mihi videor carmen v. 332 sq. optimo iure et ordine eo loco a poeta proferri neque ex eius forma vel argumento cogi posse, ut fabula sit retractata.

restat, ut v. 696 sq. inspiciamus, quibus Haemon exponit, quod iudicium faciat populus de sepultura. verba sunt haec:

---

[1]) quam prope hoc carmen ad Sophistarum rationem accedat, maxime planum fit e narratione Protagorae (Plat. Prot. p. 320 sq.), quae simillima est Sophocleae. quare Blassius suspicatus est unam ex altera aliquo modo pendere vel ab utroque (Soph. et Plat.) sumpta ea esse ex eodem auctore. — vir doctus monet et de carmine quodam Orphico (Abel 247) et de Sophistae libello quodam, cum dicit: Man weiß ja nicht, wieviel etwa der Philosoph (sc. Protagoras) in der Schrift *περὶ τῆς ἐν ἀρχῇ καταστάσεως* hiervon selbst vorgetragen hat (JJ. 155 (1897) p. 477—80). id ita se habere negat Earleus (Class. Rev. XIII. [1899]: notes an Sophocles' Antigone p. 389), qui ait: a marked difference between Protagoras' tale and the chorus in the Antigone consists in this, that in Soph. the independence of man is dwelt upon, nothing is said of supernatural interference. this Professor Blass ignored." omnino sine ulla dubitatione concludendum non est unum auctorem ex altero pendere, quoniam illis temporibus eiusmodi sententiae vulgo florebant. res utriusque narrationis eadem est, forma idcirco diversa, quod Soph. sepulturae ratione habita sic rem fingere debet, ut ab hominibus sua arte audiciaque omnia perfici videantur, Sophistica vero ratione (sc. *μύθῳ*) Protagoras atque id consulto. quaerit enim, priusquam enarrare incipiat, ex Socrate hoc: *ἀλλ' ὦ Σώκρατες οὐ φθονήσω, ἀλλὰ πότερον, ὡς πρεσβύτερος νεωτέροις, μῦθον λέγων ἐπιδείξω ἢ λόγῳ διεξελθών;* sed dubium non est, quin suam causam habuerit Sophocles, cur ea aetate talia carmine tractaret. ac ne id quidem neglegendum est, quod eo argumento fabulae actionem bene illustrat. nam *σοφία* et *τέχνη* agnoscuntur, sed ubi se efferunt ad leges divinas humanasque violandas, contemnuntur. ergo necessarium est Creontem tyrannum *σοφίᾳ* ac *τέχνῃ* usum propter leges neglectas interire. insuper huius orationes proxime accedere ad artem Sophistarum demonstravit Bruhnius (N. J. I p. 255 sq.), et Schmidius haud male dixit de consilio fabulae l. c. p. 24: „Vernunftstaat gegen überlieferte Religion, insbesondere nach ihrer mystischen Seite hin . . . Diese Gegensätze wollte er gegeneinander führen und für die Mystik eine Lanze brechen." simile iudicium facit Hirzelius, qui contentionem illam inter ius scriptum et non scriptum per saecula permanentem commentatione, quam scripsit de *ἀγράφῳ νόμῳ*, enarrat (Abh. Sächs. Ges. Wiss. XX (1900 p. 3—98) cf. praesertim p. 65 sq.; de Antigona autem quid sentiat his verbis complectitur p. 69: „So triumphiert in der Antigona schließlich das „ungeschriebene Gesetz". Wir spüren es, daß auch der Dichter Partei ergriffen hat im Kampfe seiner Zeit, daß er auf Seiten der *ἄγραφα* steht, denen er außer in der Antigone im Aias zum Siege verholfen hatte und vor denen er sich auch im König Ödipus verehrend beugt." cf. O. r. 685 sq.

ἥτις τὸν αὑτῆς αὐτάδελφον ἐν φοναῖς
πεπτῶτ' ἄθαπτον μήθ' ὑπ' ὠμηστῶν κυνῶν
εἴασ' ὀλέσθαι μήθ' ὑπ' οἰωνῶν τινος·
οὐχ ἥδε χρυσῆς ἀξία τιμῆς λαχεῖν;

hoc quoque loco Drachmannus vestigium dari suspicatur prioris operis Sophoclei, in quo corpus non pulvere sparsum, sed sepulcro conditum esse contendit. dicit enim p. 69: „Dies ist eine sehr ungenaue Bezeichnung dessen, was Antigone wirklich getan hat; ihre „Bestattung" des Polyneikes konnte weder Hunde noch Vögel von seiner Leiche abwehren." cum *ἄθαπτον* adiectivo, quod quia priore loco scriptum est, maiorem vim habet, per epexegesin adiuncta sint verba: *ὑπ' ὠμηστῶν κυνῶν ὀλέσθαι κτλ.*, hoc loco *ἄθαπτον εἶναι* idem est atque bestiis *ὀλέσθαι*. id ex Homeri temporibus Graecos putasse constat, sescenties hoc scriptum videmus (cf. Il. I. v. 6, Aesch. Sept. 1014, Eur. Phoen. 1650). idem habes in Soph. Ant. 29—30: *ἐᾶν δ' ἄκλαυτον, ἄταφον, οἰωνοῖς γλυκὺν θησαυρὸν εἰσορῶσι πρὸς χάριν βορᾶς* et 205—6 *ἐᾶν δ' ἄθαπτον καὶ πρὸς οἰωνῶν δέμας καὶ πρὸς κυνῶν ἐδεστὸν αἰκισθέν τ' ἰδεῖν.* ergo cum hominibus Graecis *θάπτειν* sit idem, quod servare a bestiis, quaeritur, num quia pulvere modo Antigona sparserit, pro *κόνιν ἐπιβάλλειν* dici potuerit *θάπτειν* vel *οὐκ ἄθαπτον εἴασε* pro *κόνιν ἐπέβαλεν.* Sophocles quidem ubique sic loquitur de Antigonae facinore, quasi sit revera *τάφος* cf. 246, 467. at Drachmannus forsitan dicat eos locos spectare ad verum sepulcrum, esse certa testimonia retractationis. age adducamus aliunde testes: Aelianus dicit v. h. V. 14: *νόμος καὶ οὗτος Ἀττικός· ὃς ἂν ἀτάφῳ περιτύχῃ σώματι ἀνθρώπου, πάντως ἐπιβάλλειν αὐτῷ γῆν, θάπτειν δὲ πρὸς δυσμὰς βλέποντα* cf. Ael. h. n. II, 42. Plut. Is. et Os. 371 sq. accedit Schol. Ant. 255: *οὐ κατὰ βάθος τεθαμμένος· ἀλλ' ὡς ἔχει ἐπιβεβλημένη ἦν ἡ ἄμμος· τοῦτο δὲ ἐποίησεν ὁ θάψας νόμου χάριν. οἱ γὰρ νεκρὸν ὁρῶντες ἄταφον καὶ μὴ ἐπαμησάμενοι κόνιν ἐναγεῖς εἶναι ἐδόκουν.* ergo apud Graecos tenui pulvere conspergi (*ἀφοσίωσις*) et sepeliri (*τάφος*) eodem loco poterant haberi [1]).

---

[1]) hoc ita videtur esse explicandum. corpus mortui qui vidit, terra vel lapillo vel ramulo conspergere debuit. qua re satis fecit religionis officio. cum vero quivis viator idem facere soleret, paulatim tumulus exsistebat, ut mortuus revera sepeliretur. eiusmodi tumuli (*ἕρμακες*) in Graecia aliisque terris etiam hodie inveniuntur. cf. B. Schmidt. (N. Jbb. 47 p. 369 sq.). F. Liebrecht: Zur Volkskunde (Heilbr. 1879) p. 267—284. M. Nilsson: Griech. Feste (Lips.

his expositis suspicandum est etiam Sophoclem eo de quo dicimus loco more Graeco finxisse *θάπτειν* et *κόνιν ἐπιβάλλειν* idem fere esse, ita quidem, ut Haemon sive populus dicere possent a corpore arceri bestias pulvere (lustratione), ut sepulcro. haec suspicio firmiore argumento comprobatur. namque Antigona Aeschylea, quae in Septem fabula eadem ratione Polynicem humatura est, qua Sophoclea sepelivit, persuasum habet vel tenui pulvere corpus fraternum fore a bestiis tutum. dicit enim v. 1035 sq.:

τούτου δὲ σάρκας ... οὐδὲ κοιλογάστορες
λύκοι πάσονται· μὴ δοκησάτω τινί.
τάφον γὰρ αὐτὴ καὶ κατασκαφὰς ἐγώ,
γυνή περ οὖσα, τῷδε μηχανήσομαι,
κόλπῳ φέρουσα βυσσίνου πεπλώματος,
κἀυτὴ καλύψω.

ergo quamquam pulvere tantum, quem sinu vestis afferet, corpus humabit (cf. schol. ad l.), tamen se ab animalibus id tutaturam esse sperat. iam quod volui, demonstravi a Sophocle v. 696 sq. ratione Graecorum illius aetatis de lustratione ita dici potuisse, quasi sepultura esset vera; nam exitus fabulae Septem, seu Aeschyli est seu retractatoris cuiusdam, antiquus certe est. accedit, quod Haemon sive populus id praesertim debuit praedicare, quod Antigonae fuit et maxima causa facinoris et excusatio, i. e. eam voluisse a corpore fraterno avertere dilacerationem foedam. etenim cum id, quod homines Graeci maxime perhorrescebant, a fratre, quantum potuit, removere studuerit, putatur honore aureo digna. hoc Haemonis studium esse recte iam sensit scholiasta, qui ad l. annotat: *διὰ τούτων* (v. 696 sq.) *ὑπεραπολογεῖται τῆς κόρης ὑπερευπρεπῶς τῇ πόλει πειθεὶς τὸν λόγον.* cf. Aristotelis simile de hoc loco iudicium: rhet. III. 17.

his expositis satis apparere puto ex iis locis, qui Drachmanno ad opinionem suam comprobandam plurimum valere visi sint, e v. 696 sq. vel v. 245 sq. vel ex stas. primo non effici posse, ut tragoedia sit commutata. cognovimus enim et Haemonem vel populum et nuntium et chorum optimo iure sic de ea ratione, qua Ant. sepelivisset, dicentes esse factos, quasi re vera esset *τάφος*; atqui concedere oportet ita exstitisse inconcinnitatem quandam rerum et verborum, quam cur Soph. admiserit, relinquitur enucleandum.

1906) p. 388 sq. — Romani idem putabant. cf. Mau, P. W. s. v. Bestattung III. 1. 347. ac ne apud eos quidem mortuos, quorum corpora non aderant, „terrae iniectio“ vim suam amittebat cf. Serv. Aen. VI. 366.

exquiramus igitur, cur et finxerit, ut nihil nisi ἀφοσίωσις fieret, et homines sic loquentes induxerit, tamquam si esset τάφος, atque etiam quomodo factum est, ut vel rerum discrepantiam admitteret, cum priorem fabulae partem (1—987) ita instituerit, ut Polynices videretur ab Antigona sepultus atque a bestiis tutus (v. 696 sq.), superiorem (988—1353) ita, ut videretur non sepultus atque a bestiis dilaniatus (1016 sq. 1080). de qua inconstantia, ut recte iudicemus, explorare oportet tragoediae fundamenta.

Sophocles Ant. fabulam compositurus nonnullas difficultates superare debuit. prior enim pars ita fuit conformanda, ut Polynices reapse humatus videretur, cum ut Ant. sperare posset fore, ut sua humandi ratione frater vera sepultura afficeretur, tum ut ad supplicium specie iuris de ea sumendum Creonti videretur edictum re vera violavisse. id bene verbis expressit Drachmannum secuta Heduvica Jordan, quae ait l. c. p. 93: „Sophokles brauchte für Antigone die Perspektive der vollzogenen Tat.“ ipse autem criticus dixit p. 68 ann. 2: „Sophokles mußte darauf bedacht sein, die symbolische Handlung, welche an der Leiche vollzogen wird, einer wirklichen Bestattung so ähnlich wie möglich zu gestalten.“ simul vero opus ita fuit instituendum, ut Antigona fratrem in speciem sepulturae tantum pulvere conspergeret. nam primum oportuit ab ea sola rem geri, ut sola teneretur a Creonte in culpa, ab auditoribus in laude; sed, ut sola virgo, vix potuit plus efficere quam pulverem spargere et absolvere iusta. deinde alteri parti necessarium erat Polynicem videri insepultum bestiisque proiectum. nam dilaceratione corporis arisque pollutis manifesta fit ira deorum; ita fieri potuit, ut Tiresiae vatis divini illud cum Creonte colloquium componeretur plenum sanctitatis atque gravitatis. Creon enim iniuriae coarguendus erat, quae valde augetur eo, quod Polynicem intra fines patriae, non extra proiecit animalibus — id quod hominibus Atticis magnum scelus videbatur [1]). tum propter sepulturam nondum perfectam Creonti facultas datur consilii sui in bonam partem immutandi i. e. Polynicis tunc sepeliendi, quo summa arte tragica efficitur, ut is qui

[1]) cf. Vischer M. Rh. XX. p. 451, qui de consuetudine proditorum extra patriam proiciendorum recte dicit hoc: Man erreichte auf diese Weise Zweierlei, die Heimaterde, an welcher der Tote sich versündigt hatte, war von seiner Berührung befreit, zugleich aber den unterirdischen Göttern ihr Recht gewährt . . . sed iussu Creontis labes a patria non removetur, sed in ea retinetur. cf. etiam Hirzel: Ἄγραφος νόμος p. 68 ann. 4 (Abh. Sächs. G. W. XX. 1900).

bonum consilium ceperit, quia sero ceperit, miserrime intereat [1]). est igitur imperfecta sepultura alterius partis ea condicio, sine qua cogitari nequit.

id quidem intelleximus, opinor, eius fabulae, quam manibus tenemus, priori parti necessariam esse sepulturam perfectam, superiori imperfectam. at qui potuit Sophocles duas humandi rationes efficere una sepultura? Antigonam fecit in speciem sepulturae corpus pulvere conspergentem, quare aliquo modo fieri potuit, ut una parte sepultura videretur perfecta, altera non perfecta.

est igitur non dubium, quin si enucleaverimus, quomodo priore parte effecerit, ut Polynices, etsi per speciem esset humatus, tamen reapse sepultus videretur, cogituri simus omnia ea, quae cum ad veram sepulturam spectarent, retractatione orta esse Drachmannus opinaretur, esse certo consilio prolata. sunt enim ea artificia, quibus moliebatur, ut auditores sepulturam, si fas est dicere, symbolicam intellegerent verae, si non parem, certe simillimam. ex hoc loco spectantes singula breviter percensebimus.

iam initio fabulae Ant. sic loquitur de sepultura, quasi sit fratrem sepulcro revera conditura cf. 43 (κουφιεῖς = take up in burial [Jebb]) et 80, ad quem versum recte annotat Jebb: she speaks as if she hoped to give him regular sepulture. hinc non concludere debemus, ut Drachmannus (Herm. 44, 628), fabulam esse retractatam, sed verba virginis optime nascuntur — ut ita dicam — ex condicione rerum. nam tum temporis Antigonae nimirum sperare licebat se posse fratrem rite humare, cum quam difficulter custodibus attentis corpus sepeliretur, nondum sciret. sed notatu dignum est, quod hac Antigonae spe efficitur, ut spectatores quoque iam principio tragoediae cum Ant. de vera sepultura cogitent.

maxime vero narratio custodis 245—247 efficit, ut Polynices videatur non per speciem, sed reapse humatus. quibus de causis nuntius ille versutissimus mirum in modum de facinore referat, supra facile intelleximus (cf. p. 31); nunc vero id quodque videmus, cur Sophocles talem induxerit. est enim hic maxime idoneus, qui facinus reddat tam mirum tamque incredibile, ut omnes id vel compluribus hominibus vel deis tribuant neque quisquam dubitet, quin sepultura sit reapse perfecta. hoc consilio eius narra-

[1]) De Creontis causa cf. H. Jordan l. c. p. 93—94.

tionem informatam esse conicias vel ex angore et studio custodum, de quo nuntius dicit 262 sq.; hanc rem Drachmannus his verbis tetigit p. 73: „Der Eifer, womit die Wächter sich gegenseitig die Schuld zuschieben (v. 262 sq.), ist auffallend bei einer Tat, die von jedem Vorübergehenden verübt sein konnte. Die Notwendigkeit, das Geschehene dem Kreon zu berichten (268 sq.), leuchtet nicht ein; es hätte ja genügt, die Spuren der symbolischen Bestattung zu entfernen. Ganz anders, wenn die Leiche verschwunden war."

immo nobis ea, quae exposuimus, respicientibus dubium non esse potest, quin haec quoque trepidatio sit a Sophocle reperta, ut cum custodibus omnes sepulturam miro modo perfectam ducerent. et profecto eo modo, quo voluit, nuntius omnibus persuadet et Creonti, qui non modo non dubitat, quin edictum violatum sit, sed etiam complures esse sepulturae auctores suspicatur (cf. 240—314 et 490, ubi Ismenam quoque suspectam habet), et choro, qui deis etiam facinus tribuit (278) ac postea hominum versutiam celebrat (332 sq.), et nimirum spectatoribus, quia poeta, quo modo chorum voluit moveri, eo spectatorum animos. eodem spectat, quod Haemon de Thebanorum sententia, quam de sepultura habeant, Creonti nuntiat v. 696 sq. Antigonam esse propterea laude maxima dignam, quod a bestiis corpus sepeliendo tutata sit. nam ut custodes, Creontem, chorum, ita Haemonem omnesque cives de vera sepultura cogitare oportet.

quae cum ita sint, facile cognoscitur Sophoclem priore fabulae parte apte homines ita de Antigonae facinore loquentes fecisse, quasi Pol. vera sepultura affectus esset, cum altera parte eundem finxerit insepultum. inde rerum discrepantiam ortam esse non debemus negare, praesertim cum priore parte corpus a bestiis tutum, altera dilaniatum dicatur. sed quia utrumque suae parti aptissimum ac necessarium esse vidimus, non suspicamur hinc retractationem, sed Sophoclis subtilem sollertiam, si quidem reputamus, quae de Trachiniarum fabulae inconstantia observavimus.

restat una difficultas. Ant. bis fratrem sepelit. de qua re Drachmannus dicit p. 68: „Weshalb Ant. zum zweiten Male bei der Leiche ihres Bruders erscheint, ist meines Wissens noch nicht befriedigend erklärt worden." suo iure id dicit, cum fabulae rebus ipsis nihil causae datur, cur iterum sepeliat [1]). sed ne tra-

---

[1]) multi nimirum tales causas exhibere studuerunt. ut aliorum opiniones inanes praetermittam, Bruhnii de hac re proximam, quae etiam Heduvicae Jor-

goediam rebus minoribus nimis oneraret, promptam causam, cur soror iterum humaret, e rerum condicionibus explicare videtur supersedisse. ita sane auditoribus facultatem dat talem ipsis sibi fingendi seu suspicantur virginem id fecisse, cum amore permota iterum ad corpus fraternum adiret seu alia occasione singulari data. sed iam ita de arte Sophoclea me docuisse puto, ut nisi licet causam intellegere ex condicionibus rerum, forsitan liceat conari eam ex tragoediae condicionibus explicare. ne id quidem Drachmannus agnoscere videtur, cum dicit p. 68: „Man wende nicht ein, daß ohne den zweiten Besuch aus der ganzen Tragödie nichts wurde; was zwang denn den Dichter, überhaupt zwei Besuche zu erfinden?" haec, si Antigona non bis, sed semel sepe-

---

dan vero proxima videtur (cf. l. c. p. 85), paucis tractabo. annotat is ad v. 247: „Daß ein besonderer Bestattungsgebrauch neben dem Bestreuen mit Sand gemeint ist (sc. 247), beweist *καὶ-καί;* keinesfalls ein Trankopfer, da Ant. ja erst später erscheint, um dieses zu bringen: möglicherweise verband man gefallenen Kriegern die Wunden, wozu sich Ant. in den Phoen. (1669) von Kreon die Erlaubnis erbittet." sed Antigonam in priore sepultura non libasse, aliquanto tempore post redisse libatum verisimile non est primum gravissima erant inter iusta facienda libationes (quod inter omnes constat cf. Fritze: De libatione veterum Graecorum p. 70 sq., Berolini 1893). ergo si in priore sepultura — id. quod Bruhnius putat — nondum erat libatum, haud debuit nuntius de hac referre 245 sq. *θάψας τις βέβηκε . . . κόνιν παλύνας κἀφαγιστεύσας ἃ χρή.* adde, quod verbis *κἀφαγιστεύσας ἃ χρὴ* aliud quid significari nequibat nisi libationes; hoc Jebbium refutans probabile facit Guilelmus Barth N. J. V. p. 181, qui dicit: „Wenn Jebb. (z. v. 245) an Blumen oder Vollbinden denkt, so vergißt er, daß der Wächter solche Dinge, aus denen man sogar auf die Person des Täters hätte schließen können, bei der charakteristischen Breite dieses Berichtes kaum zu erwähnen versäumt haben würde. v. 409 hören wir in dem zweiten weitschweifigen Bericht des Wächters nur von dem Staube, der den Toten bedeckte." deinde omnino verisimile est Graeco more inferias post ipsam sepulturam statim semel factas esse, cf. inscr. Dittb. syll. 468 v. 8, qua sepulturae die libationes ferri traduntur, et *Ψ* 218 sq., ubi Achilles libat ardente rogo. eodem pertinere puto Eur. Phoen. v. 1664, quo Creon dicit: *ὡς οὔτις ἀμφὶ τῷδ' ὑγρὰν θήσει κόνιν.* hunc versum recte explicavit Wecklinus ita: „*ὑγρὰν* quodam modo per prolepsin dicitur, nam pulvis udus fit inferiis (*χοαῖς*)." haec autem elocutio vix aliter intellegitur, nisi in ipsa statim sepultura libatur. tum Ant. Sophoclea dicit v. 901 se in Eteoclis sepultura libasse; statim igitur attulit inferias, cum proxima nocte humaverit. post nulla alia iusta per totam fabulam memorantur ac *σπονδαί* praeter pulverem. postremo prior sepultura vix aliter potuit fieri, quam superior, in qua nihil allatum dicitur nisi pulvis et libationes cf. 429—431. quae cum ita sint, custodis de priore sepultura narratio (245 sq.) sic est intellegenda, ut Ant. omnia iusta (*ἃ χρή*) libationibus non exceptis absolverit.

livisset, totum episodium primum praeter v. 163—222 sublatum et extinctum esset ac nuntius iam post v. 222 cum Ant. deprehensa intrasset haec verba faciens: ἥδ' ἔστ' ἐκείνη κτλ. v. 384. hoc autem actu, quo nuntiatur iam esse Polynicem sepultum, sed quis humaverit, quaeritur, permulta fabulae necessaria Sophocles perfecit. primum eo tantum nuntio (245 sq.) — id quod supra exposui — effici potuit, ut etsi pulvis modo inspersus erat, sepultura videretur mirum in modum perfecta vel manu deorum vel hominum. deinde eo tantum fieri potuit, ut maxima tyranni saevitia iussique severitas ante oculos poneretur, videlicet eius, qui vel acerbissime saeviret in sepulturae auctorem nondum cognitum. tum eo actu amor et audacia Antigonae vel absentis manifesta fiunt, cum spectatores — qui ex prologo eam sepelivisse sciunt — oculis videant, contra quem quantamque saevitiam femina talia molita sit. nam quo maior depingitur angor custodis et rigor tyranni et admiratio chori, eo magis augetur Antigonae fortitudo et erga fratrem pietas. atque extrema parte custode abeunte omnes in summam de virginis fortuna expectationem adducuntur, cum quivis quaerat, deprehendaturne illa a custodibus, tyrannusne omnem furorem vel in feminam affinem effundat, quo denique modo id Antigona ferat.

iam apparere puto permultas Sophocli fuisse causas ad hunc actum fabulae aptissimum, ne dicam necessarium, componendum, quamquam exsisteret rerum inconstantia quaedam, quia non explicavit, quibus rebus Ant. ipsa moveretur ad lustrationem iterum faciendam.

Hucusque fabulam Sophoclis solam de sepultura percensuimus observantes singularem esse a Soph. excogitatam sepeliendi rationem non ob aliam causam nisi propter condiciones suae tragoediae, discrepantiam autem inde esse ortam, quod ea tum videbatur esse perfecta tum non perfecta atque ab Antigona bis absolvebatur. iam perscrutandum est, quomodo idem descriptum sit fabula volgari sive ab aliis poetis, ut quae Sophocli illam inconstantiam admittenti ante oculos versata sint, videamus. sed quae interpretes de Sophoclis in hac re auctoribus adhuc suspicabantur, incertiora sunt, quam unde aliquid possit colligi. nam aut omnino negant hoc argumentum ante Sophoclem ab ullo tractatum esse, ut Corssen (l. c. p. 5 sq.), aut infirmiora suspicantur, ut Wilamowitzius ex natura locorum, quae Thebis circumia-

cent [1]), et ex nomine Antigonae [2]) fas esse ducit. „den Stoff des Sophokleischen Dramas für einen Nebenzweig der Sage zu halten, thebanischen Ursprungs"; ei adstipulatur Betheus P. W. s. v. Antigone et Bruhnius (praef. ed. Ant. p. 6), qui saltem fieri potuisse opinatur, ut sermone aliquid traderetur. plus suspicari viri docti non audebant. sed per tres testes ampliora et certiora comprobari possunt.

namque Apollodorus, qui III. 78 cum Soph. maximam partem concinens Antigonae fortunam narrat, a poeta scaenico dissidet hac sententia: *Ἀντιγόνη δέ, μία τῶν Οἰδίποδος θυγατέρων, κρύφα τὸ Πολυνείκους σῶμα κλέψασα ἔθαψε καὶ φωραθεῖσα ὑπὸ Κρέοντος αὐτοῦ τῷ τάφῳ ζῶσα ἐνεκρύφθη·* ad haec recte annotat Bruhnius (praef. Ant. p. 7): „Also Antigone schafft den Leichnam des Bruders heimlich fort und begräbt ihn, wird aber dann auf Kreons Geheiß mit dem Toten zus. lebendig begraben. Wenn wir diese Tradition ernst nehmen dürfen, so würde für ihre Ursprünglichkeit einmal die wirkliche Vollziehung der Bestattung statt der symbolischen und sodann die genaue Entsprechung zwischen der Tat Antigones und ihrer Bestrafung zeugen." per Apollodorum unum sane nihil certi comprobatur, etiamsi et iis, quas Bruhnius profert, causis et crudelitate, in qua ista historia vertitur, verisimile fit eam esse oriundam antiquiore aetate. hoc vel inde conicere licet, quod primum Apollodorus tragoediam Sophoclis tritam sequitur, tum prorsus alium auctorem laudat, quod vix fecisset, nisi antiquus erat et notus, praesertim cum ei carmina veterum epica in usu fuisse constet [3]).

sed ut unde Apollodorus sua sumpserit, certius cognoscamus, alter testis accedit Euripides, qui eandem rem et ipse novit et istis temporibus pervagatam esse indicat. nam in Phoen. scripta sunt haec v. 1656 sq.:

ΚΡ. *ἄταφος ὅδ' ἀνήρ, ὡς μάθῃς, γενήσεται.*
ΑΝΤ. *ἐγώ σφε θάψω, κἂν ἀπεννέπῃ πόλις.*
ΚΡ. *σαυτὴν ἄρ' ἐγγὺς τῷδε συνθάψεις νεκρῷ.*
ΑΝΤ. *ἀλλ' εὐκλεές τοι δύο φίλω κεῖσθαι πέλας.*
ΚΡ. *λάζυσθε τήνδε κεἰς δόμους κομίζετε.*

[1]) v. Wilamowitz: Die sieben Tore Thebens, Herm. XXVI (1891) p. 231 ann. 3.
[2]) v. Wilamowitz: Drei Schlußszenen griech. Dramen, Sb. Berl. Akad. 1903 p. 437 ann. 1.
[3]) Bethe: Thebanische Heldenlieder p. 29 sq.

his versibus idem significatur, quod apud Apollodorum Antigonam cum fratre vivam sepulcro includi. actione autem operis Euripidei id neque conficitur (ut apud Apollodorum: *ζῶσα ἐνεκρύφθη*) neque alibi ullo verbo commemoratur. cur vero Euripides eam rem eo infirmaverit, quod virginem reapse non facit inclusam, ex ipsius poetae ingenio facile cognoscitur. est igitur hoc argumentum ad eum locum solum receptum, quod optime certe intellegitur, si res fuit nota.

notam vero eam fuisse ut comprobetur, Sophocles adstipulatur tertius testis, qui eandem sepulturae rationem cognovit. etenim illa inter verum sepulcrum et humationem specie factam discrepantia tunc demum plane intellegitur, si ab ea fabula profectus putatur, quam fuisse Euripides et Apollodorus testantur. id confirmatur his tragoediae Sophocleae rebus. Antigona dicit ad Ism. v. 71 sq.:

ἀλλ' ἴσθ' ὁποῖά σοι δοκεῖ, κεῖνον δ' ἐγὼ
θάψω· καλόν μοι τοῦτο ποιούσῃ θανεῖν.
φίλη μετ' αὐτοῦ κείσομαι, φίλου μέτα,
ὅσια πανουργήσασ', ἐπεὶ πλείων χρόνος,
ὃν δεῖ μ' ἀρέσκειν τοῖς κάτω τῶν ἐνθάδε.

hoc loco Sophocles illius rei, de qua dicimus, memor videtur fuisse, cum Antigonae ante oculos versetur fore, ut fratrem sepulcro afficiat et ipsa quoque eodem afficiatur. Antigonam autem non *μεταφορικῶς* hic dicere de inferis, apud quos cum fratre coniungatur, sed ut Euripidem (cf. Phoen. 1658 *ἐγγύς*) de sepulcro, in quo iuxta fratrem *κείσεται*, probatur v. 93—94, quibus eadem ait ad Ismenam:

εἰ ταῦτα λέξεις, ἐχθαρεῖ μὲν ἐξ ἐμοῦ,
ἐχθρὰ δὲ τῷ θανόντι προσκείσει δίκῃ.

nam quod lustratione omissa omnes feminae consanguineae erant *μιαινόμεναι* [1]), fabula volgari fortasse res ita etiam describebatur, ut sorores ambae fratrem et sepelirent et sepulcro includerentur. Ion quidem huius rei memor videtur esse cf. Sal. arg. Ant. Soph. *ὁ μὲν γὰρ Ἴων ἐν τοῖς διθυράμβοις καταπρησθῆναί φησιν ἀμφοτέρας ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἥρας ὑπὸ Λαοδάμαντος τοῦ Ἐτεοκλέους.* ad hoc cf. Wilamowitzii annot. (Sb. Berl. Akad. (1903) p. 438), qui suo iure dubitat, num Ion sit Sophoclem secutus.

---

[1]) cf. inscr. Ditt. syll. 468 v. 25. Herodot. VI. 58. Rhode: Psyche [3] p. 221 ann. 1.

fieri autem potuit, ut praeter hanc Ionis memoriam, qua sorores combustae tradebantur, exstaret altera, qua sepulcro conclusae ferebantur. si vero de sororibus tale quid fuit vulgare, Soph. hoc mutare debuit, cum in tragoedia Antigonae soli fuerit sepeliendum, sed in suos usus id vertere potuit, ut ἐνθύμημα, cum eam facit dicentem sese cum fratre φίλην sepultum iri, sororem ἐχθράν (93—94).

sed ut eam fabulam, quam ad antiquiora tempora referendam esse isti Apollodori, Euripidis, Sophoclis loci testantur, re vera fuisse comprobemus, etiam hoc testimonio est. si enim Antigona — id quod illi tradunt — una cum fratre viva sepelitur, multo malumus cogitare de sepulcro quodam saxis exstructo quam de humatione vel alio sepeliendi modo. apud Sophoclem autem Antigona tali conditorio concluditur, quod passim per fabulam memoratur atque etiam haud dubie est sepulcrum Labdacidarum (891 sq.). mirum non est, quod Drachmannum id offendit, dicit enim suo iure p. 70: „Trotzdem bleibt es auffallend, daß Kreon eine derartige Vorrichtung (sc. ein Kuppelgrab) zur Bestrafung der Antigone gleich bei der Hand hat und zu diesem Zwecke verwenden will.“ mirum sane est, quod per se nusquam describitur sepulcrum, sed auditoribus cognitum ducitur (cf. Bruhn praef. ed. p. 32—34); facile autem id intelligitur, si Soph. et auditores tale sepulcrum eo modo usurpatum aliunde, i. e. ex ea fabula, quam Eur. et Apollodorus tradunt, cognitum habebant.

ergo consensu Sophoclis, Euripidis, Apollodori satis comprobari puto ante Sophoclem fuisse memoriam, qua Ant. fratrem sepulcro condidisse et in eodem ipsa quoque conclusa ferebatur [1]. hanc fuisse notam Sophocles et Euripides testimonio sunt. ubi vero ea res narrata sit, disceptari non potest, sed quia poetis tragicis fuit nota, lubentissime cogitamus de carmine quodam

[1]) quam volgaris ea de vera sepultura fabula fuerit, vel inde elucet, quod Soph. sua ratione humandi, suo tantum operi apta, ab omnibus dissidet. praesertim Euripidem compertum habemus in sua fabula Antigonam fecisse fratrem vera sepultura afficientem, cum iuvetur ea ab Haemone, quo adiumento in lustratione opus non fuit (cf. arg. Arist. Soph. Ant.). deinde notatu dignum est, quod Thebis fuit locus, qui appellabatur Ἀντιγόνης σύρμα (cf. Paus. IX. 25. 2), quem haud dubie propterea sic nominabant, quod Ant. inde vel eo corpus fraternum „traxisse“ tradebatur. traxit autem nimirum in sepulcrum (cf. Philostr. p. 383. 20 sq.). ceterorum auctorum locos, qui eo consentiunt, quod ab Antigona fratrem reapse sepultum esse tradunt, congessit Bruhnius praef. ed. p. 3 sq. discedunt autem eo, quod alii humatum Polynicem, alii combustum ferunt.

cyclico [1]. sed his expositis sive Thebaide sive alio carmine ferebatur, quomodo Antigona fratre sepulto ipsa quoque eodem se-

[1]) forsitan de Thebaide, cum hoc carmine, quomodo Labdacidae interirent, describeretur cf. Bethe.. Theb. Heldenlieder p. 165; sed in his rebus tam lubricis plus quam coniecturae proponi non possunt. si autem hodie ex Pind. Ol. IX. 12 colligendum esse contendunt (ut Corssenus l. c. p. 10 sq. et Bruhnius l. c. p. 3 sq.) in Thebaide de illo propter Polynicis corpus certamine nihil scriptum esse, non possum non confiteri hoc audacter esse dictum. Pind. haec scripsit: *ἑπτὰ δ' ἔπειτα πυρᾶν νεκρῶν τελεσθεισᾶν Ταλαϊονίδας εἶπεν* (sc. *Ἄδραστος*) *ἐν Θήβαισι τοιοῦτόν τι ἔπος· Ποθέω στρατιᾶς ὀφθαλμὸν ἐμᾶς, ἀμφότερον μάντιν τ' ἀγαθὸν καὶ δουρὶ μάρνασθαι.* ad haec scholiasta annotat: *ὁ Ἀσκληπιάδης φησὶ ταῦτα εἰληφέναι* (sc. *Πίνδαρον*) *ἐκ τῆς κυκλικῆς Θηβαΐδος.* hinc concludunt, ut cum septem rogi exstructi sint, Polynices quoque sit combustus. contra hoc dicendum est septem numero de ducibus ipsis nihil probari. nam ut hic numerus in Nem. IX. versu 25 *ἑπτὰ γὰρ δαίσαντο πυραὶ νεογυίους φῶτας* propter ea, quibuscum cohaeret, ad rogos *λόχων*, non ducum, referendus est, ita eo loco de quo dicimus (Ol. IX. 12) septem rogi septem *λόχοις* exstructi videntur (cf. Welcker: Cycl. Ep. p. 367, Schol. Pind. Ol. VI 5. Rohde, Psyche [3] I. 114 ann. 2. 117. 1. Jebb. introd. ed. Ant. p. IX), idque propterea, quod utroque loco Amphiaraus ex septem unus fulmine concussus et terra devoratus esse expressis verbis dicitur (quae res quin ceteris ducibus cognita fuerit, dubitandum non est; aliter Wilamowitzius: Isyll. p. 163 ann. 3). ergo si *λόχῳ* Amphiarai, etsi ipse non aderat, rogus exstruebatur, quidni Polynicis quoque, etsi rex Thebanorum ipsum sepeliri non sivit? adde quod verba *ἑπτὰ πυρᾶν κτλ.* in Thebaide scripta scholiasta non testatur, sed sola quae Adrastus dicit: *ποθέω κτλ.* ac ne probabile quidem est ista in Thebaide inventa fuisse. scimus enim Thebaidis fuisse hunc versum, quem Pausanias sic tradit VIII. 25. 5. *ἐν δὲ τῇ Θηβαΐδι ὡς Ἄδραστος ἔφευγεν ἐκ Θηβῶν ‚εἵματα λυγρὰ φέρων σὺν Ἀρείονι κυανοχαίτῃ'.* ab hoc autem ista abhorrerent, cum idem, qui ante Thebas suis rogos facit atque grandia loquitur, nihil habeat, cur Thebis fusa fuga *εἵματα λυγρὰ φέρων* profugiat. id mea quidem sententia vix debuit neque ante corpora comburenda (ut sentit Corssenus l. c. p. 12) nec postea (ut putat Welcker: Cycl. Ep. p. 369). denique ex eo loco Pindari, num Thebaide illa de Polynice contentio descripta sit, idcirco nihil certi colligi potest, quod illum constat non esse veritum, ne eorum carminum argumenta in suos usus arbitrio converteret. id optimo iure dixit Betheus (Theban. Heldenlieder p. 98): „Als Patriot mußte er die Ehre der Vaterstadt wahren, und mit jener naiven Kühnheit der Zeit, in der die Sage noch lebendig ist, legte er umgestaltend die Hand an sie und formte sie um den Anschauungen seines Jahrhunderts gemäß." iam satis demonstravi, quam lubricum esset fundamentum illud Pindaricum ad Thebaidem carmen restituendum. scimus ab Adrasto similia verba ac Pindarica *ποθέω κτλ.* de Amphiarao in eo carmine esse facta (plura Pindaro non erant usui), nescimus, quae fecerit antea vel postea — quidni etiam de Polynice aliquid? nescimus, quibus condicionibus locutus sit, neque eo versu, quem Paus. laudat VIII. 25. 8, Thebaidem esse ad finem perductam. dicendum autem est, etsi id in multitudine eorum carminum comprobari sane non potest, nihil obstare, ne fieri

pulcro concluderetur, diiudicari licet, quae ratio intercedat inter hanc memoriam et Aeschyli fabulam Septem. iam Corssenus (Die Antigone des Soph. Berlin 1898, p. 12 sq.) confirmabat propter causas dramaticas aliasque a consilio operis Aeschylei extremam partem abhorrere. audias ipsum: „Wer könnte den Schluß der Sieben gegen Theben lesen, ohne die Empfindung einer schreienden Dissonanz!" huic adstipulatus Wilamowitzius, quae essent Aeschyli, quae retractatoris, accuratius discernebat (in Sb. Berl. Akad. (1903): Drei Schlußscenen griechischer Dramen p. 439 sq.). sed utriusque argumenta non videbantur firmissima, cum postea Maximilianus Wundt extremam fabulam ab Aeschylo esse profectam comprobare conatus sit [1]). est ergo necessaria quaedam ratio exhibenda, qua sitne fabulae exitus Aeschyli necne diiudicetur. hanc commentatione mea datam puto. namque exitus fabulae Septem et Antigona tragoedia Sophoclea eo concinunt, quod eadem sepeliendi ratio est in utraque. cf. Sept. v. 1039 sq. qua de re Wilamowitzius dixit (Sb. pr. A. W. 1903 p. 438): „Greller tritt die Unachtsamkeit des Nacharbeiters (sc. fabulae Aeschyleae retractatoris) darin hervor, daß er im Banne der sophokleischen Erfindung die Antigone in Aussicht stellen läßt, sie würde die Erde zur Bestattung des Polyneikes im Bausche ihres Gewandes heranholen (v. 1039)." haec autem viri doctissimi notatio habebit tantam vim, ut nihil dubii relinquatur, ubi reputaverimus, quae supra exposui: Sophoclem propter condiciones suae tragoediae excogitasse et effecisse, ut Antigona corpus pulvere conspergeret atque id contra eam de qua diximus fabulam, qua Polynices a sorore sepulcro conditus traderetur. Sophocles suam

potuerit, ut etiam, quomodo de Polynicis sepultura pugnaretur, Thebaide describeretur. hoc verisimile quidem est, quod ea res et istis temporibus volgaris fuit et aptissima ad Thebaidis, carminis clarissimi, argumentum.

[1]) Phil. LXV (1906) p. 371 sq. id potissimum premit illam de corpore patriae proditoris contentionem, de qua sit fabula Septem extrema, isti aetati aptissimam fuisse (anno 470 Pausania mortuo, anno 460 Themistocle). ipse ait: „Diese Zeit trägt, meine ich, alle Voraussetzungen in sich, die zur Entstehung unserer Szene nötig waren (p. 376)." sed ea re nihil probatur, cum dramati dramaticae causae sint graviores. — his vero Wundtii opinionem redargui Corssenus et Wilamowitzius ostenderunt. deinde fabulae Septem exitum Aeschyli esse ne eo quidem confirmatur, quod res sacrae Graeco et antiquo more describuntur atque genus dicendi arsque metrica ad aetatem vetustiorem referenda videntur. hae Wundtii probationes conlabuntur, ubi partem extremam tempore antiquo a retractatore quodam artis Aeschyleae admodum perito profectam ducimus. quod ne suspicemur, nihil obstat.

habuit causam, cur talem proferret sepulturae rationem, Aeschylus nullam. quantopere vero ea fabulae Septem non conveniat, ostenditur hoc comparatione: in fabula Aeschylea exeunte et Sophoclea ineunte Antigonae causa est eadem, constituit enim fratrem sepelire. sed apud Sophoclem sperat id, quod unum consentaneum est, cum de difficultate sepeliendi nihildum compertum habeat, — a se fratrem revera sepultum iri cf. 43 et 80 (supra p. 39); apud Aeschylum autem vel Pseudo-Aeschylum iam tum Polynicem scit a se tantummodo pulvere sparsum iri (Spt. 1039). quam ineptum! nequaquam id praenuntiare debuit neque condicionibus fabulae nec rerum coacta, praesertim cum chori dimidia pars eam in sepeliendo sit adiutura. num credamus hoc ineptissimum Aeschylum tragoediae suae inculcasse idque volgari illa de Polynicis sepulcro fabula neglecta? est ergo firmo argumento comprobatum fabulae Septem exitum ex Antigonae fabula Sophoclea pendere. Aeschylus vero aut aliud quid — quod nobis ereptum est — exitu fabulae Septem descripsit aut, qua erat grandi simplicitate, illud de Polynicis corpore certamen, quod vulgo tradebatur, ad tragoediam non adhibuit, sed stirpe virili Labdacidarum exstincta i. e. Laii, Oedipi, Polynicis Eteoclisque fortuna descripta contentus non necessarium putavit illa trilogia enarrare, quid mulieribus vel corporibus mortuorum accideret. id autem postea facile potuit desiderari, quare satis patet, quibus de causis fabulae Aeschyleae illa pars extrema assuta sit.

haec habui de sepultura quae dicerem. summa vero est haec: Antigona fratrem sepulcro condidisse et cum eo conclusa esse volgari quadam fabula tradebatur. hanc Sophocles (non Aeschylus) ita mutavit, ut virgo fratrem in speciem sepulturae pulvere conspergeret, quare sepultura priore parte videri posset perfecta, altera non perfecta. quam rerum inconstantiam optime eo occultavit, quod in priore parte ii, qui de lustratione, ut sepultura, mirum in modum perfecta dicunt, optimo iure dicentes facti sunt, sc. nuntius angore permotus, Creon saevitia, Haemon amore. bis denique Antigonam sepelientem fecit, ut actum grandem actionique aptissimum exhiberet.

II a. Iam aggrediamur illam rerum discrepantiam, quae ad Creontis de Polynicis corpore praeconium pertinet. namque prologo declaratur iam ante actionis principium a Creonte illam pronuntiationem esse factam atque id omnibus Thebanis (6—7) (*πανδήμῳ πόλει*), (26—28).

cum hac re non bene concinit, quod Creon eandem rem omnibus civibus antea pronuntiatam iterum nuntiat senibus (192 sq.), iis scilicet, quibus quia cum regno erat aliqua necessitudo (164-169), id ante omnes primis erat praedicendum. ut duplicis huius pronuntiationis causam afferret, poeta finxit senes de ea re nondum quicquam scientes — id enim de iis dicit Antigona (31—34) — et ipsi quoque se nihildum comperisse aiunt his verbis v. 156—160: *Κρέων . . . χωρεῖ, τίνα δὴ μῆτιν ἐρέσσων, ὅτι σύγκλητον τήνδε γερόντων προὔθετο λέσχην, κοίνῳ κηρύγματι πέμψας;* hoc artificio id quidem effecit poeta, ut si res singulae in scaena deinceps aguntur, ea rerum inconstantia minus animadvertatur, sed reapse eo augetur, quod cum *πάνδημος πόλις* edictum acceperit, senes de eodem nondum certiores facti sunt.

priusquam hanc discrepantiam explicemus, Zielinskium refellamus oportet, qui sic eam interpretatur, ut contendat [1]) prius praeconium in castris exercitui noctu editum esse a Creonte, quippe qui v. 8 appellatus sit *στρατηγός*, alterum ab eodem, ut rege, civitati (*τοῖς μὴ εἰδόσι* v. 33). tum sane inconstantia esset sublata, praeterquam quod Antigona virgo illud a militibus haud bene accipere potuit. sed Sophocles aliter rem finxit, cum ipse satis dilucide compluribus locis dixit vel prius praeconium esse pronuntiatum non exercitui, sed civibus, sc. *πανδήμῳ πόλει* v. 7, *ἀστοῖσι* v. 27, *πόλει* v. 203.

illa autem rerum discrepantia ita esset vitata, si Creon in prologo senibus primis iussum ediceret, deinde sorores, tum post carmen primum custos induceretur; sed si chorus e senibus constabat, hanc viam ingredi Sophocli haud licebat, cum chorus ante parodum agere non soleret. sed veram illius inconstantiae recipiendae causam Adolfus Müller vidit, qui de hac re fusius locutus ait [2]): „Wir erklären uns diese Unwahrscheinlichkeiten . . . vor allem daraus, daß er dem Zuschauer sogleich die Heldin in ihrer Größe und Eigenart zeigen und das Problem in voller Schärfe und Klarheit aufstellen will.“ hoc ille recte contendit, nam confirmare id possumus. statuere enim licet de fabulis Sophocleis eam legem, ut iam prologo inducantur, qui ad effectum adducere debent id consilium, de quo tota quaeque fabula est, ut in O. r.

[1]) Zielinski: die Chorlieder in der Antigone (Festschrift für Gomperz (1902) p. 147 ann. 1).

[2]) Ad. Müller: Aesthetischer Kommentar zu d. Tragoedien d. Sophocles. Paderborn 1904.

prologo induxit Oedipum eiusque consilium eum detegendi, qui Laium necaverit v. 132 sq., in El. Orestam, qui matrem interficere constituit v. 23 sq., in Phil. Ulixem, qui per Neoptolemum decipere vult Philoctetam v. 50 sq., in Oed. Col. Oedipum et eius consilium mortem in luco Dirarum oppetendi suosque exsecrandi v. 92 sq. deinde in Ai. et Trach. ii quidem, de quorum consiliis fabulae sunt, Aiax et Deïanira, prologo inducuntur, sed cum in ceteris fabulis iam prologo consilia descripta viderimus, in his duabus proposita demum post carmen chori primum explicantur. illis vero quattuor apte inseritur Antigona fabula, cuius prologo inducitur Antigona et eius consilium fratris sepeliendi v. 43 sq., quod totius tragoediae argumentum est. ex ea lege summam artem scaenici poetae cognoscimus, qui iam principio fabulae auditorum exspectationem convertit ad personas primarum partium ac, si fieri poterat, ad earum consilia. id vero in fabula Ant. non aliter perficere potuit, nisi Creon bis idem pronuntiaret; nam in prologo edictum pervagatum iam esse oportebat, ut Antigona consilium suum capere posset. Creon rursus eandem rem iterum senibus declarare debuit, ne choro et ipsi quoque regi causa deesset intrandi. deinde poeta haud dubie eo quoque spectavit, ut et Antigonae et Creonti proprius actus esset, quo melius uterque (Antigona Ismenae et Creon choro) explicaret, quam rationem haberet ad sepulturam Polynicis (cf. H. Jordan l. c. p. 83). cognovimus igitur poetam ad certum effectum spectasse, cum duplici pronuntiatione inconstantiam irrepere siverit.

IIb. Propter eundem effectum alia discrepantia recepta est, de qua breviter disseruit Ad. Müller l. c. p. 103. Antigona enim ait a se Ismenam idcirco esse arcessitam, ut cum ea sola de consilio suo consultaret (v. 18—19). ab hac re non abhorret, quod infra (v. 86—97) sororem iubet idem consilium omnibus enuntiare, quoniam recusatione Ismenae ad summam iram abrepta est. sed quaestio oritur, cur Ant. ut cum sorore consilium clam communicet, non maneat intra domum, sed exeat. hoc non difficile est intellectu. voluit enim poeta, ut vidimus, prologo Antigonam eiusque consilium ante oculos ponere, sed quia condicionibus scaenae cogebatur, ut hoc explicaret extra domum, ista verba Antigonam facit proferentem (v. 18—19), ne causa desideretur, cur sorores exierint.

III. Graviorem vero discrepantiam Eteoclis sepulturae descriptio continet, quae ad artem Sophoclis dramaticam cognoscendam multum valet. Ant. enim haec dicit v. 897—903:

ἐλθοῦσα μέντοι κάρτ' ἐν ἐλπίσιν τρέφω
φίλη μὲν ἥξειν πατρί, προσφιλὴς δὲ σοί,
μῆτερ, φίλη δὲ σοί, κασίγνητον κάρα.
ἐπεὶ θανόντας αὐτόχειρ ὑμᾶς ἐγὼ
ἔλουσα κἀκόσμησα κἀπιτυμβίους
χοὰς ἔδωκα· νῦν δέ, Πολύνεικες, τὸ σὸν
δέμας περιστέλλουσα τοιάδ' ἄρνυμαι.

ex his verbis elucet Antigonam ipsam honore sepulturae Eteoclem ornavisse, cum verba *κασίγνητον κάρα* ad Eteoclem spectare oporteat, inde autem a verbis *νῦν δέ, Πολύνεικες* oratio demum ad Polynicem convertatur. id Antigonam apte eo loco proferentem poeta facit, debuit enim illa, ut soror, utrumque fratrem sepelire, cum apud Graecos more religionis feminarum officium esset mortuos suae *ἀγχιστείας* rite sepelire, quia putabantur *μιαινόμεναι*[1]; atque cum dolore de vita decessura unum hoc solacium habet, quod suis omnibus veniet grata, utpote quae omnibus iis iusta solverit nullo ac ne Eteocle quidem excepto.

ab hac re prologus abhorret, in quo Antigona Eteoclem humatum esse a Creonte (v. 25) huiusque de Polynice editum — quod in ipsa sepultura Eteoclis, cum a corpore alterius retineretur, cognoscere debuit — non compertum habet nisi fando; de hac enim fama saepius dicit ipsa cf. v. 7, 27, 31—32 *τοιαῦτά φασι τὸν ἀγαθὸν Κρέοντά σοι κἀμοί, λέγω γὰρ κἀμέ, κηρύξαντ' ἔχειν*[2]. ergo ex prologo contrarium eius rei apertum fit, quam Ant. v. 897 sq.

[1]) cf. supra p. 44 ann. 1. eandem ob causam haud dubie Creon suspicatur Ismenam fuisse Polynicis sepulturae participem v. 489.

[2]) huc etiam spectant v. 23—25 *Ἐτεοκλέα μέν, ὡς λέγουσι, σὺν δίκῃ χρησθεὶς δικαίᾳ καὶ νόμῳ κατὰ χθονὸς ἔκρυψε τοῖς ἔνερθεν ἔντιμον νεκροῖς.* v. 24 corruptus videtur. medelam non inveni. coniecturas enarrat Jebbius, ed. Ant. app. p. 246 sq. Boeckhius v. sanum putat (cf. eius ed. Ant. p. 184 sq.). sed iniuria Bruhnius Jakobio auctore verba *ὡς λέγουσι* (v. 23) spuria iudicat, dicit enim ad v. 23 sq.: „*ὡς λέγουσι* ist unmöglich; denn Antigone hat selbst Eteokles den letzten Liebesdienst erwiesen, das ist selbstverständlich und sie sagt es 898 ff., wo nur Eteokles gemeint sein kann. Auch Ismene muß sich daran beteiligt haben; was also Ant. hier von Eteokles sagt, enthält gar keine Mitteilung, sondern sie spricht nur um der Kontrastwirkung willen Ismenen gegenüber aus, was diese selbst weiß.“ immo se nihildum scire Ismena, si dis placet, satis dilucide dicit v. 11 sq.: *ἐμοὶ μὲν οὐδεὶς μῦθος, Ἀντιγόνη, φίλων οὐδ' ἡδὺς οὔτ' ἀλγεινὸς ἵκετ', ἐξ ὅτου δυοῖν ἀδελφοῖν ἐστερήθημεν δύο, μιᾷ θανόντων κτλ.* deinde Ant. in v. 23 *ὡς λέγουσι* eodem sensu profert, quo verbum *φασὶ* v. 7. 27. 31. quis tandem denique verba facit nullam ob aliam causam nisi — ut Bruhnius dicit — „um der Kontrastwirkung willen“?

pronuntiavit a se ipsa Eteoclem esse ritu religionis sepultum. causa autem, cur in fabula ineunte Eteoclem virgo non humasse dicatur, videtur haec esse: si prologo iam fictum esset sepulcrum Eteoclis ab Antigona perfectum, more Graeco necessarium erat ei sepulturae — quam perfici nemo vetuit — interfuisse etiam Ismenam, ut sororem, quippe cui et hoc fuisset sanctum officium (cf. p. 44 ann. 1) et mors fratrum cognita (13 sq.), praesertim cum fabula volgari forsitan ambae sorores sepulturae participes traderentur (cf. supra p. 44); illa autem sororum altercatio, a qua fabula initium capit, in ipso sepeliendo necessario iam exstitisset. si igitur Antigona prologo Ismenam de sepultura certiorem fecisset, Graecis quaerendum fuisset, cur hoc nesciret Ismena, ipsa quoque soror. nunc vero poeta, ut Creontis edictum et consilium Antigonae diverbio exponeret, ita rem finxit, ut fama tantum de sepultura percrebesceret, quare facillime fieri potuit, ut Ant. eam audiret, Ism. nondum. quae cum ita sint, apparet eam de Eteoclis sepultura discrepantiam idcirco admissam esse, ut prologo consilium Antigonae sermone alterno explicaretur. nec solam illustrationem *τῶν προπεπραγμένων* ratione dramatica hoc diverbio perfecit, verum etiam Antigonae ingenium et fortitudinem opposito sororis angore mollitiaque elegantissime illustravit.

IV. Ismena in fabula agit secundas partes, ut Haemon et Eurydica. has personas cum ab aliis poetis tum a scaenicis et Sophocle in eis partibus induci, in quibus actioni necessariae sunt, in ceteris neglegi constat (cf. H. Jordan l. c. p. 88 et 90). hanc rationem dramaticam pluribus explicare licet, quia ex ea, quid singulis partibus poeta voluerit, facile dilucidum fit. maxime vero de Ismena disputare operae pretium est, utpote quam poeta sic describat, ut secum pugnet. priore enim parte fabulae permultum ea valet ad actionem, cum in prologo et in episodio altero inducatur una cum sorore. deinde autem cum Antigona inclusa (v. 578) semel commemoratur, a Creonte quidem, qui num Ismenam quoque vellet necare, interrogatus ad chorum dicit v. 771: *οὐ τήν γε μὴ θιγοῦσαν· εὖ γὰρ οὖν λέγεις.* inde vero ab hoc versu nullo verbo eius mentio fit atque etiam altera pars tragoediae ita instituta est, tamquam si Ismena omnino non exstaret; atque Antigona etiam bis se appellat unam gentis superstitem et v. 895 *ὧν* (sc. *τῶν ἐμαυτῆς*) *λοισθία 'γω καὶ κάκιστα δὴ μακρῷ κάτειμι* et v. 940 *λεύσσετε, Θήβης οἱ κοιρανίδαι, τὴν βασιλειδᾶν μούνην λοίπην.* gravissimus quidem de morte impendente dolor Antigonae causae

esse potest, ut se solam respiciat, sororem neglegat [1]), sed est repugnantia inter partes fabulae, quod in una locum illustrem Ismena obtinet, in altera eiusdem nulla ratio habetur. sed quo consilio Soph. opus ita instruxerit, perspicuum est.

in priore enim parte Antigonae opposuit Ismenam, in prologo adversariam, in episodio altero adiutricem, quo melius Antigonae fortissimum animum moribus sororis, feminae vere muliebris, illustraret. sed ut maximi momenti est ad prioris partis actionem, sic esset molestissima in altera, ut quae in Antigona sola vertatur. haec sola facinus illud perfecit, sola supplicium subibit, haec totam domum regiam secum ad inferos corripit et Haemonem et Eurydicam, unus Creon ex omnibus relinquitur animo afflicto mortem sibi consciturus. ab hoc effectu alienissimum esset, si Ismena ex Labdacidis una superstes tragoedia exeunte esset respecta. apte igitur Soph. animos ad Antigonam et Creontem solos convertit, etsi inconcinnitas quaedam exstitit.

V. Simili modo H a e m o n i s i n A n t i g o n a m a m o r tractatur. nonnullis enim locis, quibus propter condiciones fabulae eius mentio necessaria vel apta est, memoratur, ut in Creontis et filii altercatione (631 sq.) et in nuntio de morte Haemonis Antigonaeque allato (1155 sq.) et ab Antigona uno versu 572: *ὦ φίλταθ᾽ Αἷμον, ὥς σ᾽ ἀτιμάζει πατήρ* [2]). hoc autem Haemonis amore opus erat his de causis, ut melius illustraretur Creontis in Antigonam saevitia filii caritate opposita et rex sui filii morte poenam expenderet [3]).

reliqua autem fabula hic amor plane neglegitur, neque enim Ant. a sponso suo — Ismena recusante — opem petit, etsi id maxime erat consentaneum (cf. Ant. Eur.), neque de vita decedens uno verbo de eo recordatur, verum etiam loquitur, quasi numquam ulli desponsa sit, cum dicit v. 876 sq. *ἄκλαυτος, ἄφιλος, ἀνυμέναιος ἔρχομαι τὰν πυμάταν ὅδον* et v. 881—882 *τὸν δ᾽ ἐμὸν πότμον ἀδάκρυτον οὐδεὶς φίλων στενάζει.* de hac re dicit F. Kernius [4]): „Daß sie als Braut des Haimon sagt, sie müsse un-

[1]) hoc etiam interpretes presserunt (cf. Bruhnius ad v. 941). sed similes, quos afferunt, loci Iphigeniae Taur. Euripideae (v. 898) et Iphigeniae Goetheanae, quibus soror ab Iphigenia non respicitur, propterea huc minus bene referuntur, quod Electra in neutra fabula inducta est neque ita animos movet.

[2]) hic v. Antigonae mihi videtur esse, cum Ismena sponsum sororis absentem vix potuerit vocare *ὦ φίλταθ᾽ Αἷμον,* et id quod Creon respondet v. 573 *ἄγαν γε λυπεῖς καὶ σὺ καὶ τὸ σὸν λέχος* melius referatur ad Antigonam.

[3]) cf. Schmidt. Phil. LXII. p. 31.

[4]) F. Kern: die Antigone des Sophokles, kl. Schriften II. p. 106 (1898).

beweint von Freunden in das Grabgewölbe steigen, darin liegt entweder ein Mangel des Dramas, oder der Dichter hat absichtlich das bräutliche Verhältnis als ein so einseitiges dargestellt, daß Haimon der Antigone mit leidenschaftlicher Verehrung zugetan ist, sie aber für ihn keine wärmere Empfindung hegt.“ haud scio an Soph., si efficere voluit, ut talis esset inter Ant. et Haemonem ratio, apertius eam ficturus fuerit. Haemonem vero a virgine aliquo modo amari e v. 572 et ex ea ratione, qua dicit Ismena de sponso sororis v. 568 sq., videtur elucere. causam autem illius inconstantiae recte ostendit Heduvica Jordan l. c. p. 90 ann. 1, quae ait: „Natürlich hätte die Darstellung von Antigones Charakter unendlich viel komplizierter werden müssen, wenn dies Gefühl (sc. amor Haemonis) Macht über sie gehabt hätte — eben darum war es für Sophokles unbrauchbar.“ explicatur sane argumentum fabulae sic maiore simplicitate. sponso enim nec iuvante nec prohibente Antigona sola subit omnia, ac facilius explicatur, quomodo sponsi immemor desciscat a vita, ut Deïanira mortem occumbit a filio vel choro non retenta (cf. supra p. 24) et Hercules (cf. supra p. 18) caterva filiorum nepotumque remota. satis iam expositum est poetam, ut parti cuique necessarium esset, ita Haemonis habuisse rationem.

VI. Idem de Eurydica statuendum est. ea enim, quae in maxima fabulae parte nullo verbo memoratur, subito in scaenam intrat v. 1154. hucusque eam non desideravimus, cum in actione nullum locum habeat. sed condicionibus extremae partis necessaria est, minus ut nuntium accipiat v. 1192 sq. — hunc enim chorus quoque vel Ismena potuit audire —, quam ut eius morte Creon maritus summa miseria punitus conspiciatur, quippe qui et liberos et coniugem perdiderit.

videmus, quanta securitate Sophocles eos, qui secundas partes agunt, ibi tantum protulerit, ubi necessarius quisque ad certum effectum esset, interdum autem eorum nullam rationem habuerit, quamquam hoc rerum natura postularetur. sed ut de hoc usu recte iudicemus, ne id quidem neglegendum est, quod illae personae earumque fortunae fabula volgari plerumque notae erant [1]. quare poetis earum mores et fata accuratius exponere opus non fuit.

[1]) Ismenae personam fuisse notam constat, cum semper fere una cum sorore memoretur. etiam Haemonis sponsalia pervagata fuisse videntur (cf. Bethe P. W. s. v. Antigone). De Eurydica idem comprobari nequit. sed verisimile fit ipsa ea ratione, qua Sophocles eius personam ad tragoediam adhibuit.

VII. Iam percenseamus, quam varie de morte Megarei Sophocles docuerit. hoc primus ostendit Adolfus Schoell[1]) ac fusius explanavit Bruhnius (praef. ed. Ant. p. 13—14). fortunae enim Megarei in fabula passim ita mentio fit, ut spectatores novisse videantur eum Creonte auctore mortem pro patria occubuisse[2]). singulos locos Bruhnius accurate congessit et explanavit l. c. p. 13—14. sunt autem hi v. 1301—5, 1312—13, 1262—64, 993—995, 1058. hos qui locos perlustraverit, id satis dilucidum fieri videbit Sophoclem ita rem finxisse, ut Megareus pro patria sanguinem profunderet Tiresia monente et — id quod maximum est — Creonte auctore. quae res aperte declaratur v. 1303 et 1312, cum obscurius significetur ceteris versibus.

sed hoc argumento in fabulam recepto Soph. discrepantiam admisit, de qua Bruhnius ita disserit l. c. p. 14: „Immer aber bleibt die Schwierigkeit, daß weder der Chor, wo er Thebens Errettung erzählt, noch Kreon selber dieses Todes gedenkt (vgl. zu 995): sollte er es verschweigen, wenn er sein Kind für das Vaterland geopfert hat? Es bleibt nur übrig anzunehmen, daß der Dichter den Tod des Megareus bei seinem Publikum als bekannt voraussetzen mußte, aber ihn absichtlich tunlichst zurücktreten ließ, weil die Zuschauer eben seinem Kreon gegenüber kein Gefühl der Sympathie empfinden sollten; doch unstreitig behält diese Annahme etwas Unbefriedigendes." in qua explicatione, si quidem propterea non acquiescebat, quod fortasse verebatur, ne vera non esset, viro docto non possum assentiri. nam haec

adde quod Creontis coniux memoratur Ξ 223 et Hes. scut. 83, ubi nominatur *Ἡνιόχη*. nomen memoria varie tradi potuit. ut Euripides in Phoen. nomen *Μενοικεύς* recepit pro *Μεγαρεύς* (cf. Schol. Soph. Ant. 303 *πρότερον γὰρ* (sc. *Μενοικεὺς*) *Μεγαρεὺς ἐκαλεῖτο*), ita Soph. *Εὐρυδίκη* pro *Ἡνιόχη*. poetae scaenici personarum minus cognitarum nomina ea delegisse videntur, quae trimetris erant aptiora.

[1]) A. Schoell: Sophokles' Werke verdeutscht, Stuttgart 1860 sq. III[2]. (1866) p. 54 sq.

[2]) ut ex Soph. Ant., ita ex fabula Septem Aeschylea (v. 437) et Eur. Phoen. videtur apparere istam mortem Megarei (vel Menoecei) pervagatam fuisse (cf. Bethe: Theb. Hldl. p. 165 ann. 9). quomodo Aeschylus illius fortunam finxerit, non potest cognosci; Euripides eam paulo aliter ac Soph. exposuit. sed Soph. antiquiorem, opinor, memoriam praebet, si Creontem facit suum filium morti dantem; hoc quidem, quod aetatis vetustae crudelitatem spirat, apud Eur. memoratur (cf. Phoen. v. 916), sed non confectum fingitur.

ratio, qua mortem Megarei modo neglegit, modo respicit, non est aliena ab arte Sophoclea. discrepantia quidem admodum gravis est, si quidem Creon, insignis ille iactatione virtutum et magniloquentia, qui idem sui filii vitam profudit pro salute patriae, cum in regno auspicando se salutem patriae aucturum oratione declaret (175—191), ne verbo quidem tangit illud praeclarissime a se rei publicae factum, quo multo melius quam istis ambagibus potuit demonstrare sibi integritatem rei publicae curae maximae futuram esse. enimvero hac parte obliterata est necis Megarei memoria, cum non solus eam non respiciat Creon, sed chorus quoque, qui Creontem regem factum putat non ipsius facinore illo egregio, sed forte fortuna (cf. v. 155 sq. *συντυχίαις*, Kaibel, de Soph. Ant., Goetting. 1897 p. 12). mortem vero Megarei hac parte dedita opera neglectam esse suo iure Bruhnius suspicatus est. neque enim debent auditores de integro in Creontem esse nimis propensa voluntate, ne Antigonae studium amittant. ideo enim poeta tyrannum paucis modo virtutibus ornavit (cf. Corssen: Sophokles' Antigone (Berlin 1898) p. 21 sq.), ideo facit eundem suspicione fingentem ineunte iam regno factionem adversam esse inter cives (289 sq.), ideo chorum admodum frigido animo de regis edicto censentem (211—220).

sed causae non desunt, cur res inter se discrepare siverit, cum mortem Megarei principio fabulae neglexit, nonnullis extremae locis protulit. etenim effectum eius, quo Tiresiam induxit, actus memoria illius mortis valde auxit. Creon enim vaticinio Tiresiae fretum se confitetur filii caput pro incolumitate patriae devovisse, et ita patriam servavit. fidem igitur ac severitatem fatidicus modo praestitit. opponuntur inter se tyrannus impietatis ac pertinaciae plenus et vates veritate ac religione eximius. contemnit ille hominem divinum, cuius sanctitatem modo comperit, punietur a deis. quis non sentit ita facinus illud hoc actu in memoriam revocari (993, 995, 1058), ut pius ille poeta non potuerit non sperare se eo valde concussurum esse animos audientium.

altero autem loco (1262—65) poetam spectatores Megarei commonefacientem id spectasse puto, ut vicissitudinem fortunae Creontis maximam distincte illustraret. nuntius enim, priusquam qua calamitate domus regia afflicta sit, enarret, summae meninit felicitatis, qua rex floruerit post patriam generose servatam; *καὶ νῦν ἀφεῖται πάντα* (1165).

tertio denique loco (1301—1313) poeta hoc apparet egisse, ut exeunte fabula Creon videretur et cunctos suos perdidisse et eorum morte ab omnibus solus in vita relictus.

iam satis mortem Megarei demonstravi his tribus locis ad certum effectum prolatam, primo autem episodio idcirco repressam, ne animi ad Creontem inclinarentur, alienarentur ab Antigona. per decennia viri docti inter se concertabant, essetne Creon noxius an Antigona. ex ea autem rerum discrepantia luce clarius fit, ab utra parte ipse poeta steterit, cum fabulam componeret. hoc plurimum valet ad illam controversiam criticorum disceptandam; miror id omnes, quod sciam, neglexisse.

VIII. Per saeculum fere contentio est, an versus 904—912 Sophoclis sint necne[1]), ut de hac quaestione disserere paene suppudeat. sed bene illustrabit haec res artem Sophocleam. namque argumentum horum versuum (904—912) cum reliqua fabula non concinere videtur, quod his Antigona prorsus aliam facinoris sui causam promit atque ceteris partibus. namque ipsum fratrem ait amore singulari dignissimum esse inter omnes, quod in eius locum parentibus mortuis nemo restituatur, mariti autem vel liberorum gratia, quibus amissis alios recuperare posset, ea mala se non subisse. sed alias causas ea subeundi reliqua fabula dicitur habuisse, defendit enim leges deorum aeternas officiumque erga consanguineos mortuos sanctissimum (cf. praesertim v. 460 sq.); fratri quidem prae liberis singularis locus vindicari non debuit[2]).

antequam de hac ipsa rerum discrepantia disseramus, praefari licet ratione dicendi locum ab usu Sophoclis non abhorrere — id enim comprobarunt Kaibelius l. c. p. 2 sq. et Bruhnius ad. l. ac ne a regulis quidem, quas dicunt, logicis abhorret. Bruhnius enim, etsi locum a Sophocle profectum putat, Corssenum (l. c. p. 3) secutus hoc contendit praef. ed. p. 35: „Dieser ‚dialektische Kalkül‘ (Goethe) aber enthält obendrein einen Fehler. Wenn Antigonens Tun den Zweck hätte, sich vor dem Verluste eines der Ihren zu schützen, so konnte die Unersetzlichkeit eines An-

---

[1]) proxime de hac re disputaverunt Kaibel: De Sophoclis Antigona, Goettingiae 1898. Corssen: Die Antigone des Sophokles, Berlin 1898. H. Moeller: Ein Problem aus der Antigone. Ehrengabe der Latina 1906. Ph. Egger: Das Antigone-Problem, Progr. Sarnen 1906.

[2]) cf. quomodo Goetheus eam inconstantiam verbis complexus sit (in Gespr. mit Ekermann 28. 3. 27).

gehörigen ein Grund sein, gerade ihn zu erhalten; sie war aber kein Grund, ihn bei der Erweisung der Bestattungsehren zu bevorzugen, da er ihr ja in diesem Falle unbedingt verloren war.“ meo quidem iudicio Sophocles non ita erravit; nam — ut simpliciter, quid significent verba, enarrem — in locum liberorum vel coniugis mortuorum alii restitui possunt, in fratris post mortem parentum nemo. ergo is, cui parentes morte abrepti sunt, unum fratrem semel poterit sepelire, saepius liberos et maritum, si amissis iis alii successerint. quo quidque rarius est, eo pluris aestimatur. Antigona autem eius temporis memor, quo Polynicem nondum sepeliverit, sed consilium fuerit initura, concludit parentibus mortuis, nullo fratre superstite sibi numquam fore aliam facultatem fratris honore sepulturae ornandi. gravissimum enim est, quod virgo hoc officium religionis, si praeteriret, nunquam potuisset sarcire. est igitur ille unus, in cuius locum nemo unquam succedet, hoc honore maxime dignus. plus non conclusit Antigona. ubinam erravit? ad auctoritates aliorum fugere non soleo, minime si logica aguntur, sed hoc loco testis exsistat Aristoteles, parens ille artis logicae, qui ipse quoque non videtur dubitasse, quin eo loco Antigona miri (*ἀπίστου*) sui facinoris causam (*αἰτίαν*) protulisset. dixit enim (rhet. III. 1417 *a*): *Ἂν δὲ ἄπιστον ᾖ* (sc. *τὸ πρᾶγμα*), *τότε τὴν αἰτίαν* (*χρὴ*) *ἐπιλέγειν, ὥσπερ Σοφοκλῆς ποιεῖ. παράδειγμα τὸ ἐκ τῆς Ἀντιγόνης.* tum enarratur et laudatur locus, de quo dicimus. deinde ad aliam rem vertitur verbis: *ἐὰν δὲ μὴ ἔχῃς αἰτίαν κτλ.* respecta igitur ratione disserendi recte stat verborum sententia, sed friget ratione morum. iudicat enim Antigona de hominibus sicut de rebus ad utilitatem. nam e rebus ad usum aptis eae quidem plurimi aestimantur atque observantur maxime, quae resarciri nunquam possunt. sed de hominibus atque iis consanguineis, si quidem honeste, aliter iudicatur utilitatis cura neglegenda (cf. Corssen p. 3 sq.).

estne igitur locus ob hanc sententiam Antigonae vel Sophocli abiudicandus? ut hoc disceptemus primum monendum est nos quidem ista morum ratione offendi, sed an Graeci quoque, dubium est. verisimile enim est hos honores gentilicios antiquis temporibus gravissimos fuisse et apud Graecos et alias gentes (cf. Moeller et Egger l. c.). id igitur Soph. certe aliunde sumpsit, an formam quoque eam, qua ii v. 904 sq. defenduntur, nescimus. sed hanc cum cogitationibus illius aetatis bene concinere Herodotus

testatur, qui eandem rem persimili forma indutam exhibet III. 119. si hunc delectabat illud *παράδοξον,* quidni Sophoclem? idque Sophistarum philosophia vigente? a Sophocle id sumptum esse ex Herodoto certum est[1]), ut v. O. C. 337 sq. ex Herod. II. 35. nam loci ratione dicendi morumque inter se consimiles sunt et Aegyptia (O. C. 337 sq.) minus interfuerunt Sophoclis quam Herodoti, et istam morum rationem (Ant. 904 sq.) Herodotus haud dubie aptius ad barbaros rettulit quam Soph. ad virginem Graecam. atqui non perperam poeta scaenicus illum imitatus videtur — id quod Bruhnius contendit l. c. p. 37 —; peior saltem res a viro docto redditur quam est. namque in Oed. Col. mihi quidem peraptum videtur, quod Oedipus filios, quos de patre nihil laborantes ac domi desidiosos scit et de quibus nihildum Ismena nuntiavit nisi verba parum definita v. 336 *εἴσ᾽ οὗπέρ εἰσι· δεινὰ τἀν κείνοις τὰ νῦν,* ex omni parte (*πάντα* v. 337 rhetorice usurpatum est, cf. Bruhn. l. c. p. 36) aequat cum viris Aegyptiis feminarum more domi sedentibus v. 337 sq.

iam videbimus de Antigona, quaerentes an is locus, qui ratione quidem dicendi, disserendi morumque Sophocli non abiudicandus videtur, propter illam in feminae ingenio discrepantiam, in qua solent haesitare, forte eiciendus sit. ad hoc disceptandum in nostra via ac ratione interpretandi perstantibus nobis gravissimum est explorare, qua in condicione Antigona verba pronuntiet. stat autem illa ante senes a famulis vincta, ut ad mortem abstrahatur. ultimum videt splendorem vitae, abibit *ἄκλαυτος, ἄφιλος, ἀνυμέναιος τὰν πυματὰν ὁδόν* (876). nemo consilium eius, nemo dolorem intellexit, a charo sibi videtur irrideri (838). a Creonte tyranno superbe ministris imperatur, ut statim abducatur. iam menti obversatur caliginosum sepulcrum, iam parentum animae fratrumque, quibus ventura est gratissima. recordatur de Polynice, de suo facinore, sola suae omnis miseriae causa (v. 903—904 *νῦν δέ, Πολύνεικες, τὸ σὸν δέμας περιστέλλουσα τοιάδ᾽ ἄρνυμαι*). virgo miserrima ad inferos abitura sua sponte tantam se sibi contraxisse poenam cum dolore sentit; necessario, sed clam ac sensim quaestio ei cooritur: „rectene feci an stulte, quae tanta subierim mala?“ non pronuntiat, qua re vexetur, statim, quo animum incitatum permulceat, argumentum

[1]) cf. H. Kirchhoff: Über die Abfassungszeit des Herodoteischen Geschichtswerkes p. 8 sq. in Abh. kgl. A. W. Berol. 1868.

invenit, quod indicatur verbis v. 904 καίτοι σ' ἐγὼ 'τίμησα τοῖς φρονοῦσιν εὖ. iam sequuntur verba, quibus illud argumentum profert, quo certissime demonstratur a se facinus illud iure ac merito esse commissum. hoc in illis angustiis maxime indiget et vehementer complectitur. ipse frater fuit sepultura dignissimus, nam fuit unus neque, si huic defuisset, parentibus mortuis alter nasceretur, ut praeteritum officium sarciret. ac si liberos peperisset, ne ii quidem et maritus tanto facinore digni essent, cum in eorum locos alii possent restitui. erant igitur in ea condicione maiora officia ac sanctiora quam amor uxoris et liberorum. ita repperit id argumentum, quo firmius invenitur nullum, cum causa omnium gravissima sit matris erga liberos ac maritum amor.

id sibi vult persuadere Antigona, non quaerit, qua ratione id expediverit ad utilitatem spectans an ad aliam rem, sollicitata anctaque id invenit, ut desperationem opprimat. hoc solacio gravissimo reperto descendit in Orcum. videmus igitur id argumentum esse peraptum ad effectum huius partis et ex eius condicionibus quasi natum. neque enim Antigona neque auditores tum debent dubitare, quin mirum facinus factum sit magna ac iusta causa, quamvis poena sit gravis, ne quicquam videatur in actione — ut Graeco vocabulo utar — ἄπιστον. fieri sane potuit, ut Soph. illud argumentum operi iam ad finem perducto inculcaret — hoc mavult Bruhnius quidem (l. c. p. 37) et nisi fallor Cauerus (Grdfr. d. Homerkr.[2] (1909) p. 380); sed his expositis id suspicari sane licet, necesse, opinor, non est, si quidem respicimus, quae de arte Sophoclis dramatica iam sunt a nobis observata.

cur vero poeta varietatem quandam in Antigonae causis facinoris commitendi finxerit, planum videtur. priore enim fabulae parte virgo cum fiducia ac sublimi superbia sibi videtur esse legum aeternarum patrona, ita cepit grande consilium, ita studet sororem commovere et convincere Creontis arrogantiam. hac autem fiducia tam mirabili et Antigona tunc potuit uti morte nondum impendente et auditores eadem — haud dubie de industria — ad maximam feminae fortis admirationem et studium adducuntur. sed v. 904 sq. discessu a vita peracerbo plane fit probabile, cur virgo desperationi proxima prompserit aliam facinoris causam, quae sibi videretur maior quam illud legum divinarum patrocinium. est igitur haec non vera rerum discrepantia, sed in animo femi-

nae commutatio quaedam et ex condicionibus rerum et consilio poetae bene intellegenda, quam neque interpretatione — ut Kaibelius — neque versibus 904 sq. delendis — ut Corssenus — tollere debemus, etsi et frigida versuum ars rhetorica et ista morum ratio, de qua ante dictum est, nos hodie offendunt.

haec habui de Antigonae rebus inter se discrepantibus quae dicerem. cognovimus igitur eas non deesse, sed et numero et gravitate esse minores quam in Trachiniis, omnes vero admissas certo consilio dramatico.

C. de Oedipo Coloneo.

In fabula Oed. Col. plures gravioresque insunt res inter se discrepantes quam in ulla ceterarum. ac tanta nonnullis esse videbatur rerum inconstantia, ut tribuendam eam esse affirmarent insulsitati arbitrioque retractatoris, nequaquam arti et consilio poetae.

primus a rebus inter se repugnantibus profectus totius fabulae argumentum explicavit enodavitque Adolfus Schoell, ut quid esset Sophoclis, quid retractatoris, distingueret [1]. cum autem tragoediam una cum Oedipo rege et Antigona primo bello Peloponnesiaco a Sophocle ad actum scaenarum compositam esse sibi persuasisset — quae opinio iam pridem refutata est [2] —, nisus in argumento O. C. III., ex quo fabulam anno 401 actam esse efficitur, ex una tragoedia, quae nobis traditur, duas inquirendo extorsit alteram illi trilogiae aptam, alteram a nepote conversam. quid mirum, quod etiamsi magnam rerum discrepantiam aperuit, tamen haud raro nodum in scirpo quaesivit, quia non inter res ipsius fabulae, sed inter duarum a se fictarum repugnantiam animadvertit. hanc Schoellii de retractatione fabulae sententiam multi probarunt, audacia ac subtilitate eum nemo superavit. Nauckius quidem (in praef. ed. [8] p. 32) nonnullas fabulae res inter se repugnantes complexus certo cuidam fabulae correctori aliquantum tribuendum censet, sed internoscendi, quid poetae sit, quid correctoris, ullam facultatem esse negat.

---

[1]) Phil. XXVI p. 385—445 et p. 577—605: Die Überarbeitung des sophocleischen Oedipus auf Kolonus nachgewiesen an den Widersprüchen in allen Handlungsmotiven. nonnulla etiam addidit in praef. transl. Germ. II. p. 48—63 (Stuttg. 1868). similiter iam ante eum iudicaverunt Thierschius in Act. philol. Monac. I. p. 328 et C. Fr. Hermann (quaest. Oedipod. Marb. 1837).

[2]) comprobabat eam libello, qui inscribitur: Gründlicher Unterricht über die Tetralogien des alten Theaters (Lps. 1859). coarguerunt eius errorem Schmalfeld (J. f. d. Gymn. 1859/60); L. Schmidt (comm. phil. Bonn. in honorem Ritschelii p. 219—259); Freerichs (comm. Ribbeck. p. 205—215); Albertus Mayr (comm. phil. Monac. 1891).

similiter Adolfus Müller[1]) eam, quam manibus teneamus, Sophoclis fabulam iudicat tot tantisque laborare vitiis, ut certam esse retractationis suspicionem contendat. sed idem ex tragoedia, quae sint suppositae, neque secernere conatur neque indagare, quis quo consilio fabulam Sophocleam correxerit. id dicere satis habet interpolatorem fuisse operis, de quo quaerit hoc: „Was hat er (sc. fabulae corrector) vorgefunden? Ein vollendetes Drama? Oder nur einen Entwurf mit einzelnen je nach Stimmung und Drang ausgearbeiteten Partien, wie z. B. die herrlichen Chorlieder eins und drei? Oder zwei Entwürfe, den einen mit einfacher, den andern mit erweiterter Handlung?" his verbis Muellerus id professus est, quod plurimi ex fabulae inconstantia concluserunt[2]). an vero recte id concluserint, nostra via et ratione

---

[1]) Ad. Müller: Aesthet. Komm. z. d. Trag. d. Soph. (Paderborn 1904) p. 129.

[2]) ut meam de O. C. commentationem, quatum fieri potest, mentione adversariorum levem, libellos eorum, qui praeter Schoellium, Nauckium, Muellerum de Oedipi Col. rebus inter se discrepantibus disputaverunt, hic colloco: Carolus Krauth: De versibus de interpolatione suspectis in O. C. Sophoclis (Halis S. 1885); Johannes Becker: Die Überarbeitung des ursprünglichen Oedipus von Sophocles (Progr. Cleve 1891); J. Hooykaas: De Sophoclis Oedipode Coloneo (Lugduni Bat. 1896). de horum argumentis, quae alia non sint ac Schoellii ceterorumque, pluribus dicere opus non est, praeter hoc unum, quo perverse utitur Beckerus. Plutarchus enim O. C. carmen v. 668 sq. parodum appellat Mor. 785 a. quem locum, quoniam non a Beckero solo, sed etiam omnino mihi videtur falso intellegi, accuratius examinare operae pretium est. Beckerus, qui sibi persuasit non duas de Oedipo tragoedias, sed unam a Sophocle scriptam esse, cui index fuisset „Oedipus", quam nepos poetae in duas dilatasset, inter alias huius opinionis ratiunculas etiam illum Plutarchi locum affert. de quo dicit hoc p. 21: „Plutarch bezeichnet (Mor. 785 a) das Loblied auf Athen (v. 668—719) als Parodos, wogegen es im überlieferten Stück ein Stasimon ist. Bevor ich diese Angabe kennen lernte, war ich bereits auf kritischem Wege zu dem Ergebnis gelangt, daß jenes Lied im ursprünglichen Stücke nicht erstes Stasimon, sondern Parodos gewesen ist. Ich kann daher Nauck (Ausg. p. 19) und andern nicht zustimmen, welche meinen, Plutarch habe sich mit jener Angabe geirrt. M. E. stammt sie aus einer guten alten Quelle." hoc falsum est, nam si fabula esset retractata — quod non esse videbimus — Plutarchus iam nullo pacto novisset illam tragoediam vere Sophocleam. sed ne ii quidem recte iudicant, qui — ut Nauckius, Schmidius (Griech. Litgesch. I. p. 325 ann. 1 (1903) aliique — Plutarchum putant eo loco neglegentia et errore illud carmen clarum clarae tragoediae falso nomine designasse. nam ex mea sententia res ita se habet: in O. C. primum carmen, quod canitur a cuncto choro incipit a v. 668, inde vero a v. 117 chorus *σποράδην* init. canunt autem singulae partes, non tota caterva. his respectis Aristotelis de arte poetica libellum inspicimus, quem de parodo docuisse videmus haec (cp. XII): *χορικοῦ δὲ πάροδος μὲν ἡ*

haud difficulter disceptabimus. namque in Trachiniarum et Antigonae rerum discrepantiam inquirentes demonstravimus talem esse Sophoclis artem dramaticam, ut nonnumquam totius fabulae constantia neglecta res dissonae ab eo fingantur seu condiciones scaenae respiciente seu ad certum quendam effectum singularum partium spectante. illorum autem hominum doctorum omnes commentationes laborant eo vitio, ut nimis totius fabulae inconstantiam premant, parum respiciant singularum partium condiciones. quam interpretandi rationem primus refellit Radermacherus, qui in praef. ed. O. C. (Berl. 1909) p. 14--16 graviores O. C. res inter se discrepantes tetigit breviterque ostendit, qua ratione istae res ex arte ipsa poetae et ex temporis condicionibus essent explicandae. quae cum ita sint, a Radermacheri argumentatione atque a mea de Trach. et Ant. commentatione proficiscenti mihi alia ratione de O. C. ac de illis fabulis disputare licebit. nam in O. C. rerum inter se repugnantium multitudine nobis data sunt originis vestigia tam perspicua et expressa, ut qua ratione et via Sophocles hanc fabulam composuerit, vel distinctius cognoscere possimus quam in Trach. et Ant. enimvero certae quaedam partes percipi et inter se discerni possunt, quae totae sibi constantes et in se absolutae habent res quasdam proprias, ab aliis partibus abhorrentes. ergo ad Sophoclis artem dramaticam melius illustrandam hanc commentationem sic instituam, ut O. C. singulas res inter se discrepantes non per se tractem, sed illas fabulae singulas partes inter se diversas deinceps, eo quidem consilio, ut earum res inter se comparantes intellegamus, quibus artificiis, cum partes singulas conderet, Sophocles usus sit, quid condicionibus scaenae coactus admiserit, quid ad certum quendam effectum spectans finxerit. id vero apertum est tali explicatione vel certissime diceptari, sitne fabula funditus retractata necne.

πρώτη λέξις ὅλου χοροῦ, hanc *λέξιν* esse referendam in iis tragoediarum *μέρεσιν ὅλοις*, quae communia esse dicit omnibus tragoediis, ut *πρόλογον*, *ἐπεισόδιον*, *ἔξοδον*. *ἴδια* vero ab eo dicuntur *τὰ ἀπὸ σκηνῆς καὶ κόμμοι*, *κόμμος* autem *θρῆνος κοινὸς χοροῦ καὶ ἀπὸ σκηνῆς*, ut O. C. v. 117 sq. hinc planum fit ex Aristotelis doctrina in O. C. non versum 117 sq. appellari posse parodum. qui igitur neglecta significatione verbi *πάροδος* primitiva verbotenus ea interpretatus erit, quae Aristoteles dixit, facere non poterit, quin illud carmen v. 668 sq. appellet parodum tragoediae (*πρώτην λέξιν ὅλου χοροῦ*). ergo Plutarchus, cum id ita dixit, non dixisse putandus est in errore quodam versatus, sed Aristotelis vel Peripateticorum auctoritatem secutus.

I. v. 1—309. Iam aggrediamur rem ipsam. prima igitur fabulae pars, quae tota sibi constat, usque ad v. 309 pertinet — versu enim 310 Ismena inducitur —[1]. haec maxime ab illa parte abhorret, qua Theseus Oedipum quomodo benigne excipiat, exponitur (v. 548—719). nam illic poeta docet Oedipum et Theseum vetere foedere esse inter se coniunctos (632 *ὅτῳ πρῶτον μὲν ἡ δορύξενος κοινὴ παρ' ἡμῖν αἰέν ἐστιν ἑστία*) — qua de re infra disputabo —, hic autem inter eosdem intercedere necessitudinem nullam. in prima enim fabula Oedipum nullo vinculo cum Theseo coniunctum esse non solum inde cognoscitur, quod nullo verbo tale quid tangitur, verum etiam e rebus ipsis: nam ille postquam Athenas prope sitas esse comperit (24 sq.), ne scit quidem, quis sit urbis rex (65 sq.); et cum Theseum esse regem Atheniensium percepit (69), eum ita non habet cognitum, ut cum magno angore dubitet, utrum ab eo repudietur an recipiatur (288—309). mirum sane non est, quod fuerunt, qui discrepare haec cum societate illa (632—34) negarent, ut C. Krauth, qui Bellermannum (app. ed. O. C.) secutus contendit l. c. p. 92 Oedipum diu iam vagatum (7. 8. 22) non iam scire posse, num Theseus eo tempore superstes sit. hoc falso contendit. nam Oedipus, si quidem cum Theseo coniunctus erat, neque debuit quaerere de rei publicae Atheniensis ratione (66) nec de eius rege (69) nec postquam Theseum regnare audivit, ita dubitare et cruciari, an a suo socio exciperetur (288 sq.). quidni denique Oedipus, si est hac in parte Thesei socius, hanc ipsam societatem defendit? immo, haec pars ea re, quod nulla necessitudo inter reges intercedit, ita sibi constat, ut explicetur nulla via nisi fama et auditione Oedipum aliquid de Athenis accepisse (258 sq.) et Theseum aliquid de fato Oedipi (301 sq.). hanc autem famam poeta adhibet ad actionem consilio suo promovendam. nam Theseus atrocissima Oedipi fortuna, de qua rumore certior factus est (258), commovetur, ut in scaenam intret. Oedipus autem Athenarum splendidam pietatis et sanctitatis gloriam recordatus aliquo modo sperare potest sese ab Atheniensibus receptum iri (301 sq.). ipse vero eorum rex non ei curae videtur esse, cum ne nomen quidem eius, quamquam

[1]) neque multum refert nec fieri potest, ut singularum partium initium et finem numeris versuum distincte determinemus. atqui e ratione antiquarum tragoediarum apparet ab eo versu, a quo alius homo inducitur, plurimum aliam partem initium capere.

novit (69), pronuntiet v. 288: ὅταν δ' ὁ κύριος παρῇ τις [1]), ὑμῶν ὅστις ἐστὶν ἡγεμών, κτλ.

igitur per totam partem Sophocles haud ambigue docet Theseum et Oedipum nullo vinculo esse coniunctos. nobis vero quaerendum est, cur id hic docuerit gravi discrepantia cum v. 632—33 admissa. quod explorantes detegere poterimus, quo consilio poeta primam fabulae partem composuerit. si enim hic foedus vetus inter Oedipum et Theseum factum esset (ut v. 632/3), iam ab initio tragoediae admodum certum esset fore, ut Oedipus a socio suo et exciperetur et defenderetur, unde fieret, ut auditorum animi parum intenderentur et commoverentur Oedipi fortuna; nunc vero grandaevus ille, qui ad Athenienses venit patria profugus, nullo itineris consilio usus, inscius, utrum ab iis, quos nisi fama volgari non novit, recipiatur an reiciatur, acerbitate fati dubii auditores adducit in summam expectationem et misericordiam.

quin etiam alia singularia Sophocles hac in parte profert, quae a reliquae fabulae rebus abhorrent. ineunte enim tragoedia summo studio et gravitate lucus Furiarum describitur nullius hominis pedibus attingendus (37. 126. 155 sq.), sed aliis in partibus eundem nonnullis licet intrare. ineunt enim Ismena (503 sq.), Theseus, eius comites, filiae Oedipi (1589. 1646). hi cur ineant, ex condicionibus illarum partium facile suo loco demonstrabitur. sed etiam cur in prima parte eum inire nefas sit, cognosci potest. dubitari enim vix licet, quin Soph. ad Colonum pagum revera talem lucum noverit, quem nefas putabatur pedibus calcare; sed etiam causa dramatica non deest, cur hoc in primam fabulam receperit, quamvis simul molesta irrepserit inconstantia. est autem haec. Sophoclem supra cognovimus sibi proposuisse, ut hac parte animos audientium Oedipi condicione mira et incerta suspensos haberet. ille vero lucum Dirarum sacrum ingrediendo fabula ineunte statim nefarium scelus committit, committit autem vaticinio Delphico fretus (84 sq.). hoc igitur facto spectatoribus statim dubitatio inicitur, isne, qui omnem religionem laedere videatur, fiducia destituatur an re vera sit in tutela dearum.

---

[1]) haec verba Jebbius in ed. sic explicat: „the art. implies, that the person exsists; the indef. pron,. that his name is unknown." pro verbo „unknown" accuratius aptiusque huic loco scripsisset „indifferent". cf. Radermacheri ad l. ann., qui pronom. indef. sic usurpari exemplis allatis demonstravit.

quantopere vero poeta eo spectaverit, ut hac Oedipi mira cum deabus societate animos intenderet, vel inde patet, quod ea de causa etiam aliam rem cum altera haud concinentem irrepere sivit. nam v. 461 sq. Oedipum facit ab Ismena petentem, ut Diras ritu leniat (461 sq.) atque id propterea, quod ipse lucum intraverit. hanc enim esse caerimoniae causam chorus declarat v. 466—67 his verbis: *θοῦ νῦν καθαρμὸν τῶνδε δαιμόνων, ἐφ' ἃς τὸ πρῶτον ἵκου καὶ κατέστειψας πέδον.* sed eadem re, quod Furiarum lucum intraverit, eum in prima parte valde gaudentem videbimus, utpote qui vaticinio Apollinis fretus (44 sq. 84 sq.) pro certo habeat sese a Furiis receptum omnium malorum finem tandem esse assecuturum, neque quicquam acrius recuset nisi ne inde exeat (44—45 *ἀλλ' ἵλεῳ 'μὲ τὸν ἱκέτην δεξαίατο. ὡς οὐχ ἕδρας γῆς τῆς δ' ἂν ἐξέλθοιμ' ἔτι*). idem igitur eo, quod lucum dearum intravit, primo sese repperisse putat apud eas, ut adiutrices, totam suam salutem, deinde easdem esse ob lucum calcatum pacandas; negandum quidem non est hanc discrepantiam aliquo modo ex ipsius Oedipi consilio explicari posse, si forte senem isto munere (461 sq.) functum ducimus, ne choro videretur sacra sollemnia et tralaticia neglexisse, etsi Sophocles id non significavit. ad hanc enim rem rursus causae dramaticae praevaluisse videntur. nam 461 sq. caerimoniam illam condicionibus scaenicis postulari infra videbimus; primae autem parti fides Dirarum est necessaria, cum inter eas res sit referenda, quibus poeta miram Oedipi condicionem eiusque sanctitatem pietatemque illustrare voluit et vaticinium nonnisi ita ad actionem evolvendam potuit adhibere.

cognovimus igitur hanc in partem, quam cum perspexeris, nullas inesse sententias inter se discrepantes facile concedes. a poeta receptas esse nonnullas res, quae ab aliis partibus abhorrent, receptas autem eas esse certis consiliis. etenim e rebus inter se pugnantibus intellegi potuit Sophoclem primam tragoediam composuisse eo maxime spectantem, ut incerta miraque personae primarum partium fortuna summam haberet exspectationem, misericordiam, admirationem. idcirco nullam necessitudinem inter Oed. et Thes. intercedere finxit, idcirco illius maximam erga Diras fiduciam de lucoque intrato gaudium totius fabulae constantia parum respecta.

II. v. 310—548. Iam accedamus ad Ismenae aditum v. 310—548, ut etiam quo consilio huius partis proprietates receptae sint, demonstremus. ac primum quidem dicamus de Theba-

norum rebus publicis, maxime observantes, quis Oedipum expulerit. haec autem res tam varie a Sophocle explicatur, ut de ea pluribus verbis disputare liceat. Radermacherus de ea dicit haec (praef. ed. O. C. p. 14): „So hat man einen Widerspruch darin gefunden, daß Öd. 599 sq. behauptet, er sei von den eigenen Söhnen aus dem Lande vertrieben worden, und daß er 1354 ff. die Schuld auf Polyneikes schiebt, während es doch 427 f. nur hieß, die Söhne hätten sich passiv verhalten und zugunsten des Vaters die Hand nicht gerührt. Aber wenn es sich auch tatsächlich um eine kleine Verwechselung des Tatbestandes handelt, so entspricht diese doch sehr gut dem leidenschaftlichen Wesen des alten Herrn und tut innerhalb der Szene ihre Wirkung.“ vereor, ne vir doctus nimium tribuat Oedipi studio et irae. breviter ostendam non tam ex huius temeritate sola explicari posse illam inconstantiam quam ex uniuscuiusque partis consilio. res autem ita se habet. altera fabulae parte poeta aperte docet Oedipum eiectum esse iussu civitatis (v. 432 *πόλις τὸ δῶρον εἰκότως κατήνεσεν* et 440 *πόλις βίᾳ ἤλαυνέ μ' ἐκ γῆς*), Creontem eo tempore regem fuisse (367), filios, qui tum a rebus publicis se plane removissent (337 sq. et 367 sq.), ne pater relegaretur, non restitisse (430 et 441 sq. *οἳ δ' ἐπωφελεῖν, οἱ τοῦ πατρός, τῷ πατρὶ δυνάμενοι τὸ δρᾶν οὐκ ἠθέλησαν κτλ.*). hac igitur parte haud ambigue dilucidum fit, quales fuerint Thebis res publicae, cum Oedipus expulsus est.

sed prorsus aliter idem describitur in proxima, cum Oedipus dicat sese a filiis ipsis esse exilio affectum (v. 599 sq. *γῆς ἐμῆς ἀπηλάθην πρὸς τῶν ἐμαυτοῦ σπερμάτων*). haec verba aliquo modo intellegi posse concedo ex Oedipi studio, qui fati sui acerbitatem auget, ut Thesei misericordiam et benevolentiam sibi conciliet. verisimile vero ne hoc quidem est, quoniam Oedipi condicio hoc loco nondum est tam periculosa, ut ob eam omnem veritatem aspernetur, neque exul comperit, quid de se recipiendo sentiat Theseus.

sed non concedendum est ex Oedipi studio etiam intellegi posse, qua ratione in partibus subsequentibus eadem res describatur. in eo enim actu, quo Creon inducitur, Oedipum a Creonte ipso insolenter relegatum esse manifestum fit (770 Oed. ad Creontem: *τότ' ἐξεώθεις κἀξέβαλες κτλ.*). huius rei, quae antea tum civitati tum filiis exprobrabatur, Oedipus Creontem sane reum facere potuit iracundia abreptus, sed hac in parte ipsum Sophoclem

voluisse a Creonte esse Oedipum eiectum inde patet, quod Creon nullo verbo sese auctorem exilii fuisse negat atque etiam se ipse valde incusat (v. 753 sq.) et is se incusat, qui tota hac parte id potissimum Oedipo persuasurus est se bona semper habere consilia.

in ea vero parte, qua Polynices in scaenam init, patrem ab ipso Polynice eiectum esse poeta voluit (1354 sq.). nam hoc loco Oedipus iterum — id quod affirmari oportet — filium exilii auctorem non per errorem ducit ira incensus, sed dilucide Sophocles ipse[1]). disertis enim verbis Oedipus non solum dicit se esse eiectum a Polynice, sed etiam hunc fuisse tunc regem (contra v. 367, quo Creon rex fuisse dicitur). spectant autem ad hanc rem v. 1354—58, 1362 sq. hos qui versus scripsit tam perspicuos, a Polynice patrem revera exactum esse animo cogitavit. confirmatur autem id ea re, quod Polynices se auctorem fuisse exsilii nusquam infitiatur neque huius rei accusat aut civitatem aut Creontem aut fratrem, quamvis huic male se velle ipse praedicet v. 1295 sq. et 1329, sed acerbissima poenitentia de patris miseria afflictum se esse confitetur (1265 sq.).

iam satis demonstrasse mihi videor et poetam secum pugnare, cum explicaret, qui Oedipum expulisset, nec fieri posse, ut hanc inconstantiam explicemus ex Oedipi temeritate sola.

hoc proposito revertamur ad fabulae alteram partem, ut ad quem effectum ea sit composita perspiciamus. poeta igitur ibi rem ita finxit, ut civitatis iussu Oedipus exilio afficeretur filiis sub Creonte rege neutram partem attingentibus. cur autem hac in parte sit auctor exilii neque Creon neque Eteocles neque Polynices, inde intellegitur, quod hi si senem expulissent, Oedipus iam pridem ante actionis initium, sc. eo tempore, quo Thebis profectus est, consilia sua cepisset cum Creontis tum filiorum propter id scelus detestandorum neque auditores una cum Oedipo de filiorum Creontisque improbitate et flagitiis certiores fieri potuissent. poeta enim, qui prima parte tantummodo Oedipi peregrinationem

[1]) idem probant Schoellius (Phil. XXVI p. 411 sq.); Otte: de fabula Oedipodea apud Sophoclem, Berol. 1878; Ad. Müller l. c. p. 125 contra eos, qui ut omnes maculas, sic hanc inconstantiam eluere student „à tout prix“, ut Kolster: Sophocleische Studien (Hamb. 1859) p. 259; Joh. Müller: Die theb. Tragoedien des Soph. (Innsbruck 1871) p. 75; Schneidewin-Nauck praef. ed.[8] p. 16; Wecklinus ed. p. 4; Joh. Klein: Die Mythopoiie des Soph. in s. theb. Trag. (Progr. Eberswalde 1893) p. 5.

eiusque cum deis societatem exposuit, proxima debuit explicare, quae ratio intercedat inter Oedipum et eos, qui postea in scaenam inducuntur. aptissime vero secundam tragoediae partem ita instituit, ut ratione dramatica illustrarentur res Thebis actae et Oedipus, qui civibus sane poterat propter exilium irasci, tunc demum comperiret, quae facinora valde detestanda fecissent filii et quanti ipsis iis Creontique esset aestimandus; hinc fit, ut tum demum de iis consilia capiat. itaque filii ad id tempus a rebus publicis plane abstinuerunt (337. 345) et pater nihildum sceleribus eorum afflictus tum de eorum impia regni cupiditate certamineque certior fit (367 sq.), de vaticinio illis gravissimo (389 sq.), de Creontis dolo in exulem excogitato (399 sq.). apparet igitur ex ea re, quod poeta in tragoediae altera parte civitatis iussu Oedipum eiectum esse voluit, quamquam hoc a rebus aliarum partium valde abhorret, hanc partem compositam esse eo consilio, ut Oedipus ante oculos spectatorum de rebus ante fabulae principium actis arte dramatica certior factus in ipsa demum tragoedia consilia sua caperet. id vero Sophocles persaepe in operibus componendis egit, ut non ante fabulae initium, sed ipsa demum actione ea explicarentur consilia, quae homines in tragoediis volunt exsequi. itaque in ipsa fabula, non antea et Oedipus rex commovetur ad auctorem mortis Laii detegendum cf. v. 1 sq. et Deïanira ad Iolam ex amore mariti deiciendam et Neoptolemus ad Philoctetam dolo capiendum et Aiax ad mortem sibi consciscendam. hac autem ratione ars Sophoclea valde differt ab Aeschylea, apud quem homines, priusquam scaenam ineant, consilia sua iam pridem ceperunt velut Danaïdae, ut hospitium ab Argivorum rege peterent, velut Orestes, ut matrem interficeret. ad hanc autem Aeschyli rationem prope accedunt Antigona et Electra, fabulae Sophocleae, in quibus Antigona consilium fratris sepeliendi et Orestes matris necandae iam ante actionis initium ceperunt; hoc in Antigona fabula antiquiore factum videtur et auctoritate Aeschylea et ipso tragoediae argumento, in Electra autem vel propterea, quia minus hac fabula id agitur, quod consilium ab Oreste capiatur, quam ut apte explicentur Electrae ψυχικαὶ διαθέσεις (cf. Kaibelii comm. El. p. 55 sq.). plerumque vero apud Sophoclem quaeritur, quae consilia homines in fabulis et capiant et exsequantur, apud Aeschylum tantum, an quae antea ceperunt, exsequantur (cf. Hedw. Jordan N. J. (1909) p. 97).

sed ut Oedipum Coloneum hac ratione informaret, i. e. ut Ismenam induceret, fieri non potuit, quin etiam plurium rerum discrepantia irreperet. ac primum quidem, quo loco Polynicis exercitus consisteret, varie docuit. nam v. 1311—12 ait Thebas iam ab acie circumcludi. hac autem obsidione Ismenae facultatem eripi patrem conveniendi cum sentiret, poeta secunda parte tragoediae finxit agmen Polynicis longe tum a Thebis absens. itaque Ismenam facit dicentem 377 sq.:

> ὁ δ' (sc.: Polynices) *ὡς καθ' ἡμᾶς ἔσθ' ὁ πληθύων λόγος*
> *τὸ κοῖλον Ἄργος βὰς φυγὰς προσλαμβάνει . . .,*
> *ὡς αὐτίκ' Ἄργος ἢ τὸ Καδμείων πέδον*
> *τιμῇ καθέξον ἢ πρὸς οὐρανὸν βιβῶν.*

deinde magnam difficultatem habet, quomodo filia omnino compererit refugium patris, quippe qui — id quod ex tota fabulae parte prima elucet — nullo itineris consilio usus vagaretur. itaque ne hac in parte Ismena casu fortuitoque advenire videretur, poeta ei cum patre magnum semper usum fuisse voluit (v. 353 sq.). sed ne hoc quidem cum aliis fabulae rebus concinit. neque enim dubitari licet, quin Ismena per longissimum tempus patrem non convenerit, quoniam quae nunc Oedipo nuntiat, et fratrum de regno certamen (367 sq.) eorumque regnum et propulsatio Polynicis huiusque et profectio in Peloponnesum et conquisitio sociorum et reditus res sunt longissimi temporis, per quod ea patrem certe non vidit. vix denique fieri potuit, ut aliud quid atque id, quod hoc loco nuntiat, antea patri nuntiaret seu res gestas seu oracula, quoniam Oedipus ea, quae ad actionem huius fabulae omnino aliquid valent, sc. illa gravissima Apollinis vaticinia (v. 92 sq.) responsa videtur ipse tulisse [1]. ergo istum Ismenae cum patre usum continuum (v. 353 sq.) a Sophocle solam ad hanc partem, ne *ἄπιστος* videretur virginis aditus, esse fictum apparet [2].

sed non solum ut scaenam iniret Ismena, verum etiam ut relinqueret, inconstantia rerum admissa est. poeta enim numero

---

[1]) hoc apparet e verbis ipsis v. 87 sq.: *ὅς μοι τὰ πόλλ' ἐκεῖν' ὅτ' κτλ.* cf. Schoell: l. c. p. 391 et 598. Bellermann ad l., Wecklein ad l. et praef. ed. p. 4, Nauck ed.[8] p. 6, Otte l. c. p. 18, Joh. Müller l. c. p. 76.

[2]) similiter res se habet in Verg. Aen. IV. v. 421—423, ubi poeta finxit ad locum Aeneam, virum „perfidum“, Annae soli, quae eius intima familiaritate uteretur, „sensus credidisse arcanos“.

histrionum cogebatur[1]) causam exhibere, cur ea, priusquam Theseus ingressus esset, de scaena abiret. hac necessitate pressus caerimoniam quandam ab Ismena conficiendam invenit (v. 461—509), qua Dirae propter lucum calcatum lenirentur (v. 466). sed hanc pacationem supra vidimus non satis apte coire cum prima parte, in qua poeta certo consilio effecit, ut Oed. sancta societate cum deabus coniunctus se lucum, tamquam extremum refugium, intrasse valde gauderet. enimvero caerimoniam esse repertam non propter ipsam rerum naturam, sed propter condiciones scaenicas vel inde conicias, quod non ipse Oedipus, sed filia eam pro patre conficit.

ergo permultas res poeta fingere coactus est ab aliis abhorrentes, ut omnino facultatem sibi compararet Ismenae in scaenam inducendae et abducendae. restat, ut dicamus de una re, quae in O. C. rebus inter se discrepantibus sibi vindicat locum singularem. nam e v. 310—335 efficitur Ismenam iter fecisse nobili equo vectam (312), petaso exornatam (314), servo quodam fideli comitante (334). hic Ismenae aditus, qui virginem vere regiam sane decet (cf. Ad. Schoell. praef. transl. Germ. p. 57: „die prinzessinnenmäßige Ankunft"), etsi praeclare per se descriptus est, tamen a reliqua fabula abhorret. cur tandem ea, quae suos adiuvare semper studuit (324 sq., 344 sq., 445 sq., 1365 sq., 1612 sq.), tunc patri miserrimo nihil de suo offert? cur ne Antigonae quidem, quae pedibus nudis incedat, maximaque prematur inopia (345—352, 747—752)? sic nos quidem quaerimus tales res inter se discrepare sentientes, sed quomodo Sophocles de hac re cogitasse videatur, optime ostendit Radermacherus, qui dicit praef. ed. p. 15: „Man muß aber, um diese Szene richtig einzuschätzen, vor allem bedenken, daß ein in Lumpen gehüllter Heros mit dem Bettelranzen auf der Schulter eine dramatische Figur ist, die Sophocles von Euripides übernimmt." deinde vir doctus de nova Euripidis arte disputat, maximeque exponit simillimam esse in Euripidis Electra rerum discrepantiam, de qua dicit: „In diesem Stück ist die Königstochter eine arme Magd; so tritt sie in der Eingangsszene auf die Bühne, dürftig gekleidet und mit einem Wasserkrug auf dem Kopfe. Aber weil sie eine Königstochter ist,

[1]) de difficultate personarum O. C. inter actores distribuendarum cf. Jul. Richter: Die Verteilung der Rollen im O. C., Berolini 1842. Teuffel: Mus. Rhen. IX. p. 136. Nauck in ed.[8] p. 33. Ad. Müller p. 128.

mußten Dienerinnen sie begleiten. Das forderte die auf der attischen Bühne herrschende Etikette. Natürlich fragt man sich da, warum Elektra den Krug nicht vom Gefolge tragen läßt. Der Dichter hat die Möglichkeit dieses Einwandes empfunden und Verse gedichtet, die das Verhalten der Elektra entschuldigen sollen (54 ff.)." tum haec suo iure explicat p. 16: „Ismene kommt im konventionellen Aufzuge einer Königstochter, während die Gestalten des Ödipus und der Antigone die Überlieferungen der attischen Bühne tatsächlich durchbrechen. Anscheinend ist aber dem Dichter der Gedanke noch gar nicht aufgegangen, daß hier Kontraste aufeinanderstoßen, die einen Ausgleich verlangen . . . Das Alte, Konventionelle, ist dem Neuen noch nicht assimiliert." huic explicationi assentiendum esse existimo atque id maxime propterea, quod poeta, si ipse istas res inter se abhorrere sensisset, in unam eandemque fabulae partem — id quod alienum esse ab eius arte dramatica cognovimus — rerum inconstantiam admisisse putandus esset. sed annotandum est etiam hanc partem tali ratione esse compositam, ut qui eam non in libro legat, sed in scaena doceat vel spectet, istam inconstantiam minus animadvertat. nam iste Ismenae ornatus non commemoratur nisi in versibus iis, quibus secunda pars cum prima connectitur 310—334 — ubi ipsa virgo scaenam nondum intravit —, cum in ipso actu 335—548 eius nullo verbo mentio fiat. deinde verisimile est Ismenam equo servoque extra scaenam relictis[1]) tralaticia veste itineraria indutam in scaenam iniisse, unde fit, ut illa inter Oedipi et Antigonae miseriam et Ismenae opes discrepantia in scaena quidem parum conspiciatur. adde quod poeta in hoc actu non ad Ismenam ipsam animos audientium intendere voluit, sed cum ad ea, quae fratres interim fecerunt, tum quae Oedipus eo nuntio commovendus constituet.

est igitur vix dubium, quin Sophocles ipse tales res inter se abhorrere non senserit, ut ei ipsi etiam haec fabulae pars et sibi constare et ad unum effectum spectare videri posset, i. e. sua arte conformata. vidimus enim in hac quoque altera tragoediae parte permultas res proprias inesse, quae ab reliqua fabula discrepant. tamen a Schoellio eam existimo nimis temere appellatam esse „eine so sichtlich oberflächlich improvisierte Rolle" (l. c. p. 589). nos vero ex hac discrepantiarum copia id disci-

[1]) cf. quae Radermacherus annotat ad. v. 312 sq.

mus Sophoclem in fabula O. C. condenda eo potissimum spectasse, ut ratione vere dramatica de rebus ante actionis principium gestis certiores fierent et auditores et Oedipus ipse, ut ante oculos spectatorum inciperet secum deliberare, quomodo se gereret coram Theseo, Creonte, Polynice, qui postea inducuntur.

III. v. 549—719. Proxima fabulae pars, quae sibi constat, a. v. 549 usque ad v. 719 pertinet (a v. enim 720 de Creonte agitur); est autem de Oedipo recipiendo. eleganter sane haec res per se describitur, sed reliquae fabulae nonnullis rebus repugnat. per totam enim fabulam id quidem sine ulla inconstantia declaratur inter civitates Atheniensium et Thebanorum esse pacem placidissimam ac fidam (606 sq., 619 sq., 911 sq.), quam Sophocles fortasse maxime eo consilio finxit, ut et Theseus rex vere Atheniensis moribusque insignis magis per Oedipum propter exulis miseriam moveretur quam propter auxilium contra Thebanos, ut hostes, ab eo promissum et Creon iste pacem diremptururus magis conspiceretur, eminentior, inquam, fieret et integritas Thesei et Creontis nequitia. sed hac magna pace, quae inter Athenienses et Thebanos intercedit, difficillimum factum est causas afferre, cur Theseus benigne excipiat eum, qui nihil promittit nisi suum in bello auxilium atque id in bello contra Thebanos gerendo. quae cum ita essent, Sophocles induxit Oedipum magna eloquentia et granditate verborum Theseo persuadere conantem aliquando tamen fieri posse, ut illa pax rerum serie frangeretur (607—620). sed ne haec quidem exulis oratio poetae sufficere potuit, ut animus Thesei satis permotus videretur ad Oedipum in civitatem recipiendum. ergo huius rei alias causas finxit, quae huic parti bene conducunt, ceteris repugnant: namque hac in parte et foedus iam pridem ictum est inter Oedipum et Theseum (v. 632/3)[1], ut hoc certissime rex Atheniensium ad exulem recipiendum adducatur (quamquam prima pars de industria — id quod p. 65 demonstravimus — ita conformata est, ut nulla necessitudo inter reges intercedat) et ipsi filii patrem suum crudeliter patria expulerunt

[1]) non inter civitates — id quod Schoellius (l. c. p. 401 sq.) et Nauckius (l. c. p. 34) putant — sed inter reges solos hoc foedus factum esse versu 632 satis dilucide significatur. contra eosdem (cf. Schoell p. 396 et Nauck p. 32) dicendum est ne versu quidem 637 discrepantiam rerum effici. neque enim eo dicitur Oedipum a Theseo assequi civitatem, sed tutelam domiciliumque, cum Musgravii coniectura *ἔμπολιν* abiecta librorum auctoritatem sequentes scripserimus *ἔμπαλιν*. cf. Hooykaas l. c. p. 90 sq. et Radermacheri ann. ad v. 637.

v. 600, ut hoc Oedipi patris acerbissimo fato Thesei misericordia apte excitetur (quamquam hoc — ut vidimus — a reliqua fabula discrepat).

iam satis apparere puto etiam in hanc partem a Sophocle nonnullas res esse receptas, quas cum ei essent aptissimae, ne dicam necessariae, sed ex reliqua fabula expediri non possent, ab hac discrepare sivit. id autem potissimum hac in parte haud dubie egit, ut cur Oedipus a Theseo reciperetur, apte et eleganter explicaret.

IV. v. 720—1149. Ut haec pars fabulae tertia magnam pacem spirat et gaudium, quod fastigium assequitur carmine illo praeclarissimo v. 668—719, sic quarta rixarum armorumque est plena, quae sibi constat usque ad v. 1419 (a versu enim 1150 de Polynice agi incipitur). hac Soph. explicat et quae Creon flagitet et quo iure quaque ratione refellatur. id ex consilio totius tragoediae sic describi oportebat, ut ius optimum haberet Oedipus, Creontis autem culpa esset gravissima [1]). quare ad Creontis flagitia bene illustranda eandem inter Theb. et Ath. rationem hac parte quam priore finxit, ut Creon pacis magnae iniuria violatae auctor sit idque ex opprobio Thesei etiam Thebanis invitis (912 sq.). tyranni autem nequitia et perfidia vel inde cognoscitur, quod Oedipo intra fines patriae refugium se praebiturum esse male simulat (735 sq., 756 sq., 784 sq;) atque etiam, antequam scaenam ingressus sit ab Oedipo iniqua postulaturus, filiam iam comprehendit (818 sq.). sed cum haec facinora omnia cum rebus fabulae ceteris apte concinant, unum repugnat. a Creonte enim Oedipum esse in exilium expulsum hac in parte poeta docet (770, 753 sq.) – id quod supra exposuimus p. 68. hoc vero flagitium etiam ea re augetur, quod senem ipsum eici volentem abire non sivit, sed iam nolentem eiecit (765—779). cur vero poeta rerum inconstantia admissa Creontem hac in parte voluerit esse exilii auctorem apertum est. spectavit enim eo, ut adversarii magis concitarentur mutuis criminibus, Oedipus autem ex contentione victor egressus Creontem suo iure detestaretur (787 sq., 864 sq.) coargueretque multorum flagitiorum, ipse nullius convictus.

---

[1]) neque enim dubium est, quin Soph. Oedipum esse innocentem voluerit (cf. etiam Wilamowitz: praef. transl. Germ. O. r. et Heracl. I. p. 116). id enim elucet maxime e v. 270 sq., 538 sq., 964 sq., quibus senex ipse se purgat de omni culpa, choro assentiente 242 sq., 1014 sq., et ex v. 287 et 548, quibus se ipse dicit εὐσεβῆ, ἱερόν, καθαρόν.

haec fabulae pars aliam proprietatem non habet atque hanc exilii descriptionem singularem. sed cum de rebus inter se discrepantibus dicamus, etiam de v. 1022 sq., in quibus interpretes haesitant, disputare nobis oportet. Theseus enim Creontem his verbis alloquitur v. 1019—24:

> *ὁδοῦ κατάρχειν* (sc. *προστάσσω*) *τῆς ἐκεῖ, πομπὸν δέ με*
> *χωρεῖν, ἵν' εἰ μὲν ἐν τούτοισι τοῖσδ' ἔχεις*
> *τὰς παῖδας ἡμῶν, αὐτὸς ἐκδείξῃς ἐμοί·*
> *εἰ δ' ἐγκρατεῖς φεύγουσιν, οὐδὲν δεῖ πονεῖν·*
> *ἄλλοι γὰρ οἱ σπεύδοντες, οὓς οὐ μήποτε*
> *χώρας φυγόντες τῆσδ' ἐπεύξωνται θεοῖς.*

ad v. 1022 sq. Radermacherus haec annotat: „Das Verständnis der Worte macht Schwierigkeiten. Am nächsten liegt die Auffassung: Wenn Kreons Leute mit den Mädchen fliehen, brauchen wir uns nicht zu plagen, denn andre sind da, die die Verfolgung übernehmen, denen sie nicht entrinnen werden. Für diese Auslegung spricht, daß *οἱ σπεύδοντες* das *πονεῖν* in 1022 aufzunehmen scheint." deinde vir doctus et alteram interpretationem exhibet, quae mihi atque, nisi fallor, ei quoque videtur esse artificiosior — cum ne verba quasi invita violentius interpretemur, priorem explicationem non possimus non probare — et dubitationem, quam de ista interpretatione veriore habet. dicit enim: „Aber es erscheint gezwungen, daß Theseus nicht selbst mit seiner Begleitung den Räubern nachsetzen will, sondern die Verfolgung anderen überläßt, zumal sich nachher herausstellt, daß er selbst die Sache durchgeführt hat." hanc dubitationem praecidere me posse spero. est enim Sophoclis hoc loco ambos de scaena abducere reges. quidni Theseus, posteaquam scaena relicta hostes iam profectos intellexit, ipse se suis adiungere potuit ad Thebanos persequendos? id quidem poetae non interfuit explicare, quomodo rex hoc perficeret et quomodo Creon hac in re se gereret, quid hic omnino postea moliretur — haec enim aguntur omnia extra scaenam. id solum mente agitavit, ut apte Theseum — quem post fugam Thebanorum aliquantum temporis in scaena remanentem facit, ut ante oculos spectantium Creontis audacia ab ipso rege Atheniensium comprimatur — et Creontem de scaena abduceret; atque ob hanc solam causam rem ita finxit, ut tyrannus a Theseo iuberetur suos prodere, si quo loco cum sororibus abditi laterent. sed ubi scaenam reliquit munere suo functus, nullo verbo iam com-

memoratur (cf. quae de personis secundarum partium in Ant. supra exposui).

similem difficultatem habent huius partis versus extremi 1148—49. quibus Theseus narrare non vult. quomodo hostes consecutus vicerit. cum filias id patri describere posse dicit (1149). ad hunc v. Radermacherus annotat: „Nach dem Gesetz, das für die attische Tragödie verbindlich war. konnte Theseus die gewünschte Schilderung gar nicht geben: denn solche Dinge. die zwischendurch hinter der Szene passieren. berichtet ausführlich ein ἄγγελος. Ihn benutzt Euripides in dem entsprechenden Falle Suppl. 655 sq. Heracl. 799 sq." sed talibus praeceptis Sophocles se non semper astrictum putabat. luculentissimum exemplum est in Trach., ubi quid acciderit Herculi extra scaenam. non ab aliquo nuntio, sed ab Hyllo narratur atque id etiam inconstantia admissa (cf. supra p. 22 sq.). quidni Theseus. Atheniensium rex, qui vicit. ipse illam victoriam splendidam narraret gloriam suam aucturus? effectus haud minor fuisset quam in Trachiniis. cur taceat, hanc habere videtur causam maiorem. fabula O. C. numero versuum multo maior est quam ulla ceterarum (O. C.: 1776: O. r.: 1530) et pugna illa, si narraretur. ante Polynicis aditum actionem non promoveret. sed moleste retardasset. quae cum ita sint. Sophoclem puto maxime ea de causa victoriam non descripisse. ne praeter necessitatem opus amplificaret — supra enim (cf. p. 24) vidimus multum interesse eius interdum actionem velociter promovere.

V. v. 1150—1446. Ut in hac parte, fabulae quarta, componenda Sophocles omnes res ad Creontem rettulit. ut explicaret. quam poenam, pro quibus flagitiis de eo sumeret Oedipus. sic in quinta simili modo ad Polynicem. est enim haec (v. 1150—1446), ut ita dicam, parva tragoedia per se sola atque absoluta. in qua Polynices agit primas partes. hae autem res in ea sunt propriae: Polynicem hic solum exilii patris auctorem fuisse voluit ipse poeta (cf. supra p. 69 et praecipue v. 1354 sq.). cui rei per totam reliquam fabulam contrarium prorsus demonstratur (cf. 432, 440. 600. 770). sed cur hac in parte filius istius facinoris reus sit. apparet. stat enim haec parva tragoedia tota in isto Polynicis flagitio quasi fundamento. cum quaecumque agunt Oedipus et filius, eo spectent. namque pater iam ante filii aditum hoc scelere sic est ira incensus. ut eum ne conspicere quidem velit (1173—78) ac demum auctoritate Thesei (1179 sq.) et precibus Antigonae

(1183—1203), ut eum admittat, permoveatur, ipsumque filium parricidam appellet (1361) eundemque, qui poenitentia maxima afflictus (1265 sq.) intrat nec potest uno verbo istam culpam diluere, gravissimis detestetur exsecrationibus (1373—96). isto igitur flagitio poeta id egisse videtur, ut Polynicis fatum fieret et miserabilius et iustius.

deinde hanc partem inconstantia fabulae admissa sic instituit, ut acies Polynicis Thebas iam circumveniret cf. 1311—12 οἵ (sc. socii) *νῦν σὺν ἑπτὰ τάξεσιν σὺν ἑπτά τε λόγχαις τὸ Θήβης πεδίον ἀμφεστᾶσι πᾶν*[1]).

talem vero obsidionem, quamquam cum v. 377 adituque Ismenae et Creontis coniungi nequit, Soph. finxisse videtur, ut effectum huius parvulae tragoediae augeret. Polynices enim de scaena abit impia atque abominanda facinora contra suum fratrem suamque patriam moliturus. nonne perfacile auditores adduci potuerunt, ut omnem misericordiam abicientes istum detestabilem aversarentur? id vero Soph. perpolite eo vitavit, quod Polynices nimia audacia iam eo processit, ut istis flagitiis abstinere nequeat. non iam in itinere est cum excitu, sed hostium oppidum iam obsidetur et dignitate famaque imperatoria dux prohibetur reverti. ita fit, ut magna Polynicis misericordia illud

[1]) ab his verbis non discrepant v. 1323—25 — id quod memorari licet —; hic enim de exercitu quidem dicitur, sed non significatur, quo loco consistat. nam verba *ἐγὼ δὲ σός, κεἰ μὴ σός . . . ἄγω τὸν Ἄργους ἄφοβον ἐς Θήβας στρατόν* non ita intellegenda videntur, ut Polynices dicat se admovere agmen Thebis, sed quoniam versibus superioribus 1313—22 socios enumeravit, ita, ut se ipsum iis opponat, ut ducem, verbo *ἄγω*. quare vertas „equidem praesum exercitui Argivorum contra Thebas audaci“. sed ne si ad agmen quidem Thebas ducendum verbum *ἄγω* putas referendum esse, hic versus discrepat a v. 1311—12. nam quia copiae eo loco *τὸ Θήβης πεδίον* (1312) circumstare dicuntur, haec verba sic interpretari, si non oportet, certe licet, ut hostes aliquanto intervallo absint ab ipsis muris, etsi oppidum iam cingatur (*ἀμφεστᾶσι*); itaque Polynices dicere nimirum potuit (1323—25) sese aciem esse ducturum contra Thebas. ea quoque verba, quae pertinent ad exercitum v. 1328—29 cum v. 1311—12 concinunt. hoc enim loco, quo filius patrem rogat: *μῆνιν βαρεῖαν εἰκαθεῖν ὁρμωμένῳ τῷδ' ἀνδρὶ τοὐμοῦ πρὸς κασιγνήτου τίσιν* (1328--29), *ὁρμώμενος* aptissime refertur ad solum Polynicem, qui proficisceretur a patre ad exercitum, quem ante Thebarum moenia collegit (*τὸν ἑπτάλογχον ἐς Θήβας στόλον ἀγείρας* v. 1305) ad fratrem ulciscendum. denique v. 1370—71 ita intellegendi videntur, ut *εἴπερ* significet „wenn tatsächlich“ vel „if ever (as thou tellest me)“. ita versum explicant Jebbius et Radermacherus; Oedipus igitur aliquo modo dubitat, num filius revera faciat impetum.

colloquium audiamus, quo fratrem Antigona ad pietatem reducere frustra conatur v. 1414—46. legas modo singula quaedam 1416-26:

'ΑΝ. στρέψαι στράτευμ' ἐς Ἄργος ὡς τάχιστά γε,
καὶ μή σέ τ' αὐτὸν καὶ πόλιν διεργάσῃ.
ΠΟ. ἀλλ' οὐχ οἷόν τε: πῶς γὰρ αὖθις κτλ.

quare Polynicem non aversamur; etenim impia ista non iam moliturus est arbitrio, sed dira cogente necessitate.

simul vero Soph. hac rei descriptione effecit, ut tragoedia sua concineret cum fabula ea notissima, qua Polynices revera ad patriam oppugnandam profectus atque in ea interfectus tradebatur. hoc nimirum magni momenti fuit ad conformationem huius partis. similiter res se habet in Phoenissis, fabula Euripidea, in qua discrepantia versu 1100 efficitur; nam cum in reliqua tragoedia urbs circumclusa describatur, eo versu Argivorum exercitus Theumeso proficisci dicitur, id quod Wilamowitzius (Herm. XXVI) recte sic explicat: „Da hat den Dichter der Anschluß an die herrschende Sage zu einer Inkongruenz veranlaßt." sed Sophocles cum obsidionem Thebarum et exilium Oedipi a Polynice solo factum fingeret, maxime id mente agitasse videtur, ut huius partis argumento arte vere tragica explicato animos valde percuteret.

VI. v. 1447—1778. Iam convertamus nos ad extremam fabulae partem (1447—1778), qua describitur, quomodo Oedipus vita decedat. In hac singulari modo explicatur, qua ratione exsecrationes exulis habiturae sint exitum. namque versibus 605. 622 sq., 646 sq., 785 sq. aperte declaratur ea, quae Oedipus diris vocibus detestatus erit, evenire necessarium esse, ita scilicet, ut Thebani gravissimis cladibus ab Atticis afficiantur. sed v. 1524—1534 et v. 1764 sq. nihil ostenditur nisi olim fieri posse, ut auxilium Oedipi mortui Atheniensibus prosit ad civitatem ab hostibus *ἀδῇον* (1533) vel *ἄλυπον* (1765) servandam. id quidem poeta sine ulla inconstantia per totam tragoediam docet Oedipum irasci Thebanis [1]), sed quem ad modum exsecrationes eveniant, cum

---

[1]) Radermacherus Nauckium (praef. ed.[8] p. 32) secutus arbitratur (praef. ed.[9] p. 14) v. 1370—1374 ita intellegendos esse, ut Oedipus dicat a se ius patriae defendi („daß er die Rechte der Vaterstadt schützend vertritt"). sed ex his versibus, quam rationem Oedipus ad pratriam habeat, effici posse nego: id solum dicit, quo puncto temporis Polynices sit interiturus (*οὔ τί πω ὡς αὐτίκ', εἴπερ οἵδε κινοῦνται λόχοι κτλ.*). poeta enim id tenet, quod fabula volgari tradebatur. ante Thebas expugnatas fratres mutua morte perire ergo pater. cum

levi quadam repugnantia, quae propterea non est dura, quod ex ipso Oedipi studio maximam partem intellegi potest. illis enim locis (608—622 sq., 616 sq., 787 sq.) bellum necessario suscitatum iri perapte declaratur. nam Oedipus de perfidia ac malitia filiorum Creontisque et de eorum imminente aditu certior modo factus atque contentionem cum Creonte ingressus iustam habet causam in tantam descendendi iram, ut cladem gravem ac necessariam Thebanis imprecetur.

sed explicatu dignum est, quod Soph. affectus Oedipi sic temperavit, ut singularum partium consilio effectuique optime conducant. nam perapte extremam fabulam ita instituit, ut Oedipus erga suos sit placidior et clementior quam atrocior. nam vix dubitandum est, quin poeta facile posse fieri senserit, ut si Oedipus filiabus exceptis cunctos suos Diris crudelissime devovisset et ita mortem oppeteret, exitus nimis frigeret atque displiceret spectantibus. sed vereri non debuit, ne illum cum taedio perhorrescerent, qui Theseo nihil pollicebatur nisi aeternam tutelam.

forsitan hoc accesserit. verisimile est fabulam O. C. tempore belli Peloponnesiaci exeuntis conditam esse. itaque fieri potuit, ut Sophoclem offenderet, quantopere, si Oedipus polliceretur fore, ut Thebani ab Atheniensibus necessario devincerentur, res fabulae et illius belli inter se pugnarent. nescimus, an poeta rerum suae aetatis publicarum omnino habuerit aliquam rationem, — Wilamowitzius quidem eas a poeta respectas esse denegat, cui libenter adstipulor, quoniam semper dramatica quidem consilia ad fabularum conformationem praevaluisse vidimus; tamen suspicari licet, opinor, vel propter temporum condicionem Oedipi diras exsecrationes ita temperatas esse a Sophocle, ut non victoria, sed tantum tutela quaedam Atticis promitteretur. Albertus Mayr (in comm. phil. Monac. 1891) etiam hanc ob causam verba ipsa *πόλιν ἀδῇον* (1533) et *χώραν ἄλυπον* (1765) a poeta consulto

filium exsecratur, urbem ab eo quidem non posse expugnari dicit, non dicit, utrum ipse patriae faveat an irascatur. deinde Schoellius (cf. Phil. XXVI. p. 404 et 418) e v. 791 falso coegit, ut Oedipo necessitudo quaedem esset cum Thebanis, i. e. cum eorum partibus popularibus. nam iste verbis *ἆρ᾽ οὐκ ἄμεινον ἢ σὺ τἂν Θήβαις φρονῶ;* (791) non dicit se benignius cogitare de Thebis, sed melius se esse a deis de rebus Thebanis eruditum, quia *σαφεστέρων* auctoritate sese uti versibus proximis ipse praedicat atque antecedentibus se pessime de Thebanis cogitare exsecrationibus aperuit (cf. v. 787 sq. *ἐκεῖ χώρας ἀλάστωρ οὑμὸς ἐνναίων ἀεί*).

esse delecta suspicatur, cum dicit Sophoclem πόλιν ἀδῇον scripsisse, quod eo tempore hostes urbe ipsa abstinuissent, terram autem, cui iam manus intulissent, appellasse voce minus definita ἄλυπον. hoc fieri sane potuit, certe eo fit, ut spectatores illam inter res aetatis et Oedipi promissa discrepantiam minus observent. sed is, qui bello Peloponnesiaco magnam inter Atticos et Thebanos pacem finxit et terrae Atticae ab hostibus ea aetate valde violatae integram amoenitatem celebravit, res suae aetatis videtur minus respexisse quam ea, quae tragoediae ipsi fuerunt necessaria, nisi forte, ut Aristophanes, fabulae argumentum de industria rebus aetatis suae publicis opposuisse putandus est.

at redeamus ad extremam tragoediae partem, ut quam eleganter Sophocles eius res ad magnum in scaena effectum direxerit, exponamus. Oedipo enim mors appropinquat, ira defervuit, senex sanctum illud atque aeternum de civitatum salute foedus init, deae excipiunt eum vita fessum, omnia sunt plena sanctitatis et quietis. nonne his valde repugnaret, si ille moriturus atrociter ac dure promisisset fore, ut sua patria bello instante gravissimo deleretur? nonne partis condicionibus perapte explicatur, quomodo Oedipus nulla mentione facta istarum exsecrationum, quibus pestem et arma necessario inferenda suis enuntiavit, verbis sollemnibus ac gravibus nihil vaticinatur nisi Atticam semper fore a Thebanis tutam (1512 sq. et 1764 sq.)? discimus igitur ex illa inconstantia, quantopere Sophoclis interfuerit extremam tragoediam ita comparare, ut ei, qui primas partes ageret, admirationem et misericordiam spectatorum servaret.

VI b. 1579—1669. Eo quidem, quod exsecrationes Oedipi singulari modo describuntur, extrema pars (1447—1778) contra reliquam fabulam sibi constat, sed quia versus 1579—1669, quibus narratio nuntii continetur, nonnullas proprietates habent, quae ne cum extrema quidem parte (1447—1778) apte concinunt, illam narrationem (1579—1669) e fabula exeunte seiunctam tractare oportet. dividimus igitur, ut eas partes accurate determinemus, quae in se totae atque absolutae sibi constant, actum extremum in tres partes v. 1447—1578 (VI a.), v. 1579—1669 (VI b.), v. 1670—1778 (VI c.), quarum solam mediam pertractabo, cum prima (VI a.) et tertia (VI c.) neque inter se discrepent neque a reliqua fabula nisi ea re, de qua modo disputavimus.

haec autem in narratione nuntii insunt propria: poeta fabulae extremae parte I. (v. 1522 sq.) et III. (v. 1760) docet Oedipi se-

pulcrum semper fore occultum. cum hac vero re haud congruit, quod praeter Theseum et Oedipi filias, quae ante decessum patris remittuntur (1648), aliquis lucum intrat, qui narratione illa (1579—1669) auditores et de morte et de sepultura satis certiores facit. nam etsi locum sepulturae nec satis cernit nec describit, tamen enumerat ea, quae circumiacent, loca (1590 sq.) narratque, quomodo ille lotus novaque veste indutus omniumque rerum sacrarum particeps (1597—1603) abeat. quin etiam scit a deo quodam esse Oedipum devocatum (1626)[1]), idemque vidit Theseum oculos eo conicientem, quo Oedipus abreptus esset (1650 sq.), ac tam prope eo accessit, ut Oedipum nullo gemitu edito (1663) a deo quodam inferno receptum esse (1660 sq.) possit enuntiare. ita decessum sepulcrumque Oedipi parum celari apparet.

accedit autem altera rerum discrepantia. ineunte enim fabula Sophocles certo consilio — id, quod supra exposuimus — explicavit non fas esse lucum intrare (39, 126). hoc praeceptum violat ille, qui lucum intret et se vertat ad illa mira cernenda (1648).

sunt igitur in hac narratione nuntii nonnulla cum reliqua fabula dissona. exsistit autem quaestio, cur Soph. hanc rerum discrepantiam admiserit. cur tandem is, qui extremi actus duobus locis (1520 sq. et 1760 sq.) celari voluit, quibus condicionibus Oedipus decedat, media parte (1579—1669) nuntium induxit eiusmodi res enarrantem?

id quidem apparet, quibus de causis sepulcrum incognitum esse voluerit. nam hoc non solum fabula volgari fuit pervagatum, ut id neglegere vix posset (cf. Radermacher: praef. ed. p. 2—8), verum etiam ipsi tragoediae optime conducit, quoniam his

---

[1]) unde nuntius sciat senem esse a deo arcessitum atque etiam infra (1660 sq.) a deo inferno abreptum neque ullo morbo affectum, nec dicitur nec liquet. sed qui nuntiorum narrationes in tragoediis antiquis prolatas percensuerit, talia veri parum similia plura inveniet. affero exemplum ex Euripidis Bacchis sumptum. nuntius narrat 660 sq., quaecumque Bacchas agere viderit, quomodo semet ipsum Agavam comprehendere conantem cum comitibus fuga fusa persequantur omniaque loca et homines perturbent hisque peractis in silvam se recipiant, unde profectae sint. haec omnia potuit describere, nequaquam potuit, quae sequuntur: (*πάλιν δ' ἐχώρουν*) *νίψαι τόδ' αἷμα. σταγόνα δ' ἐκ παρηίδων γλώσσῃ δράκοντες ἐξεφαίδρυνον χροός.* neque enim poeta, unde compertum hoc iste habeat, dicit et esset contra omnem speciem verisimilitudinis, si nuntius ille modo fugatus invictas eas et crudelissimas in montem redeuntes esset secutus. tamen Euripides haec nuntiantem eum haud dubie idcirco fecit, ut perfectam earum rerum historiam proponeret.

mysteriis arcanisque rebus animi spectantium maxime permoventur, ut admirentur Oedipum, qui Dirarum socius atque magnae salutis auctor occultus in sepulcrum abeat arcanum.

his autem respectis poeta nihil debuit referre vel de ratione mortis vel de sepultura senis, ut cum ea nihil valeant ad actionem promovendam, — v. 1555 Oedipo de scaena abducto fabulae finem facturus fuisset.

sed illa pertinent ad fortunam personae primariae, de qua totum est opus; exsistit alia necessitas. quivis ea, si plane silentio tecta essent, magnopere desiderasset. ipsi poetae tragoedia tali narratione valde indigere videri debuit. ergo haud dubium videtur, quin Soph. huic necessitati indulgens aliquid de Oedipi decessu prodendum sibi esse arbitratus sit. ad hoc autem nuntium adhibet, quem illa aetate poetae scaenici ad ea, quae extra scaenam aguntur, narranda plerumque induxerunt: forsitan id quoque causae fuerit, quod omnino eiusmodi *ῥήσεις* inter illustrissimas fabularum partes referri solebant. tantopere vero poetae intererat illi spectantium studio satisfacere, ut res quasdam inter se dissonas irrepere sineret. sed haud inepte rem ita instituit, ut repugnantia minus observetur. nam nuntius perpauca oculis conspexit auribusque accepit, plura atque graviora suspicatur (cf. praecipue v. 1658 sq.), ut suo iure dicat 1656—57:

μόρῳ δ' ὁποίῳ κεῖνος ὤλετ' οὐδ' ἂν εἷς
θνητῶν φράσειε, πλὴν τὸ Θησέως κάρα.

sed talia suspicatur, talia conspicit, ut qui eius narrationem audiverit, facile sibi depingat perfectam et veram imaginem omnium rerum, quae in Oedipi decessu acciderint. aptissimum hoc est propterea, quod qui in scaena sunt, nihil de morte comperire debent nisi quae coniectura erant probabilia, sed spectatores tali ratione de singulis rebus certiores fiunt, utpote qui — etsi forsitan inscii — certe sentiant nuntii opiniones non vanas esse, sed a poeta consulto prolatas.

cognovimus igitur certo consilio illam inconstantiam esse a poeta in fabulam exeuntem admissam. noluit ab illis de extrema Oedipi fortuna mysteriis, quae tradebantur, recedere, quae ipsi quoque tragoediae conducerent, debuit de morte aliquid enuntiare, ut studio spectatorum omni ratione satisfaceret.

Ex his, quae exposui, satis intellectum puto in fabula O. C. res inter se discrepantes esse tales, ut singulas partes discernere

nobis liceat, quae sibi constant continentque res quasdam proprias suis partibus optime conducentes, aliis repugnantes. atque unamquamque earum rem condicionibus suae partis tam aptam esse ac tam firmis vinculis cum ea cohaerere demonstravi, ut — qua ratione partes semel institutae sunt — ad singularum integritatem necessariae esse neque ullo modo ex iis dissolvi posse videantur nisi maximo earum detrimento. hinc planum fit istas res ab eodem esse profectas, qui has partes scripserit, non esse interpolatoris cuiusdam.

haec vero partium discrepantia non talis est, quali totius operis consilium rerumque ordo ullo modo dirimatur. inde res inter se discrepantes dumtaxat ortae sunt, quod poeta nimis nonnumquam eo spectavit, ut argumentum uniuscuiusque partis ad maximum effectum apte componeret; hinc etiam fit — id quod maxime respicere debemus —, ut rerum discrepantia in scaena quidem vix observetur; et Soph. ipse interdum effectu partium abreptus videtur, sed non adeo, quin singulae partes sint ita ad totius tragoediae rationem directae atque inter se continuatae, ut perapte alia aliam excipiat omnesque actioni eleganter promovendae optime conducant. etiamsi ergo nescimus, quando fabulam condiderit [1]), tamen non licet dubitare, quin Sophocles sua ratione sin-

---

[1]) tempus fabulae definiri artius nequit. propter eius propositum indolemque (cf. imprimis stasim. IV v. 1211 sq.) et cunctam antiquorum affirmationem causamque Iophonteam scriptam eam esse probatum videtur a Sophocle „sub ipsum transitum ad mortem“ (Val. Max. VIII. 7. 12.). haec optime exposuit Alb. Mayr in comm. phil. Monac. 1891. accedit, quod arg. III. O. C. traditur eam actam esse post mortem Sophoclis anno 401; quam memoriam, ex didascaliis haud dubie oriundam, in dubitationem vocare equidem non audeo (aliter Radermacherus praef. ed. p. 14). sed obstare videntur nonnullae res, quibus tragoediam ad superiorem aetatem referendam esse verisimile fit. talia congessit Radermacherus l. c. p. 13. itaque operam dabam, ut earum partium, quas in se absolutas cognovimus, alias ad tempora priora alias ad posteriora referrem. hoc certis argumentis confirmare frustra conatus sum. — Leeuwenus (comm. de Aiacis Soph. authentia et integritate, Traiecti ad Rh. 1881) de O. C. idem, quod de ceteris fabulis, iudicium facit; namque Sophoclem putat „suas fabulas non uno tenore inchoasse et perfecisse, sed saepe in scribendo substitisse; interdum per multos annos moratum esse, priusquam finiret ederetque drama, nec raro ea quoque mutavisse et amplificasse, quae iam pridem fecisset iuris publici (p. 50)“. firmius argumentum huius opinionis non affert quam trimetrorum solutiones; quare cum nesciamus, quatenus eae tribuendae sint usui temporis, quatenus neglegentiae Sophoclis, vir doctus in pulvere mihi videtur sulcos duxisse. sed cum ea, quae vetustioris aetatis in O. C. videantur, sic

gulas partes et scripserit et inter se conexuerit. istis quidem ignotis cuculis, quos sua ova in Coloneae lusciniae nidum intulisse dicit Leeuwenus (comm. de Ai. Soph. (1881) p. 116) ad rerum inconstantiam intellegendam opus non est.

immo res inter se pugnantes videntur esse originis vestigia. poeta enim unamquamque partem certo consilio per se confecit, sed posteaquam singulas absolvit conexuitque, opus non ad eum finem perduxit, ut totius fabulae rerum inconstantiam plane tolleret.

sint comparata, ut Soph. ea consulto recipere facile potuerit, ut tragoediae esset color antiquiorum temporum, quippe qui sit ad eius propositum peraptus. Sophocles in O. C. scribendo ad artem vetustiorem mihi videtur recessisse, ut Euripides in Bacchis.

Conclusio.

Iam ad finem perducta sunt, quae dicenda habui de Trach., Ant., O. C. rebus inter se discrepantibus ad artem Sophoclis dramaticam illustrandam. est autem, opinor, manifestum a me delectas esse ad hoc eas fabulas, quae et singularibus et pluribus rebus inter se abhorrentibus a ceteris differunt. etenim illae quattuor omnes vel minore sunt rerum inconstantia quam fabula Antigona, in qua sepultura Polynicis dempta leviores modo res dissonas esse vidimus. et ii multi versus, qui criticis videbantur in fabulis spurii vel — ut fere solent dicere — Sophocle indigni plerumque severius quam verius suspecti habebantur. plurimi vero magis apti sunt ad genus dicendi et rationem oratoriam poetae cognoscendam quam ad artem dramaticam.

ne Aiax quidem — ut de ceteris fabulis nonnulla graviora breviter attingam — maiore laborat discrepantia rerum, etsi pars extrema habebatur subditicia. quam temere vero viri docti versus interdum ob discrepantiam quandam excluserint, uno exemplo confirmare licet. Nauckius spurium iudicat v. 970, quod Tecmessam eo loco, cum deis mortem mariti tribuat, ab Atridis omnem culpam demovere contendit. dicit autem haec ad l.: „Die Gegner des Aias zu verteidigen, fehlt für Tekmessa jeder Anlaß. Auch dieser Vers scheint daher unecht.“ ante hunc v. Tecmessa exclamavit: *τί δῆτα τοῦδ’* (sc. Aiacis) *ἐπεγγελῷεν ἂν κάτα;* sequitur versus a Nauckio suspectus: *θεοῖς τέθνηκεν οὗτος, οὐ κείνοισιν, οὔ.* ergo mulier hoc non ob aliam causam profert, nisi quod ea re potentiae deorum tribuatur victoria et gloria. ex hac autem re recte concludi posse Atridis gloriam abiudicari nemo negabit. plus vero quam hostibus iustam gloriam denegare femina noluit. id vero, quod ex eadem re vir doctissimus sagaciter effecit, Atridas a culpa liberari Tecmessae in mentem venire nec debuit nec potuit, utpote quae toto animo contra Atridas dicere studeat. quid mirum, quod istam conclusionem, quam peracutus ille fecit,

Sophocles nullo verbo attigit, quem nihil prompsisse cognovimus, nisi quod suae parti aptissimum esset.

ne in extrema quidem parte quicquam inest, quod Sophoclis arti non tribuendum videatur. plerisque mirum videbatur, quod hac parte mores Ulixis nimio favore, Atridarum maiore iniquitate a poeta descripti sint (cf. Bergk: Gr. Litgesch. III. p. 379). huic autem parti propositum est, ut explicetur, quomodo vincantur Atridae, superet Ulixes. quam rem ut apte explicaret, Soph. partem ita instituit, ut victor videretur paulo maiore laude ac studio dignus quam victi. ineunte autem fabula Ulixes idcirco non tantis virtutibus describitur praeditus, ne studium auditorum averteretur ab Aiace. alienum vero non est ab arte Sophoclea, quod inconstantia quadam admissa unaquaeque res ad suae partis effectum perapta profertur.

iam pauca de Oedipo rege dicam. huius fabulae res omnium maxime sibi constant. notatu fortasse dignum est, quod Oedipus detegendis ulciscendisque auctoribus caedis Laii, in cuius regnum et matrimonium successit, per multos annos (561) operam non dedit (106 sq.), sed solus Creon Oedipo inscio (566 sq.). apparet vero ita rem fictam esse, ut actio in spatium unius diei coerceretur et spectatores de omnibus rebus ratione dramatica certiores fierent [1]).

simile iudicium facere licet de Electra fabula, in qua — ut unam repugnantiam afferam — ob eandem causam atque in O. r. Orestes et comes, quamquam longum iter iam una fecerunt, de consilio suo demum Argi itinere confecto deliberationem inchoant (v. 15 sq.); et hanc inconstantiam et alias leviores optime observavit tractavitque Kaibelius passim in egregio commentario.

ne Philoctetes quidem his rebus amplius a ceteris tragoediis distat. unius autem discrepantiae mentionem faciam, quae plerumque neglegi solebat (cf. A. Schoell praef. transl. Phlct. (Stuttgart. 1865) p. 38 sq.). namque per totam fabulam saepe ac distincte exponitur Lemnum insulam esse desertam vastamque neque quemquam eo venisse nisi bis nautas, qui post brevissimum tempus profecti essent (cf. 2 sq., 169 sq., 182 sq., 211—218, 221, 223—224, 486—487, 688—689 et 300 sq., 494 sq.). est igitur

[1]) altera repugnantia inter v. 736 et 758 huius fabulae videtur esse, quam Wilamowitzius memorat (praef. transl. Germ. O. r. p. 4 ann. 3). sed tam levis est neque ita verbis expressis significata, ut nisi versibus acriter examinatis non observetur; in scaena quidem talis neminem offendit.

insula ab humano cultu plane vacua, a qua re abhorret, quod in eadem loca quaedam deis sacrata nominantur v. 1459 *τὸ Ἑρμαῖον ὄρος,* v. 1461 *Λύκιον ποτόν,* v. 799 sq. et 986 sq. notum illud *Λήμνιον πῦρ (τὸ παγκρατὲς σέλας Ἡφαιστότευκτον).* quae discrepantia vel eo augetur, quod Philoctetes istum ignem non convertit in suos usus, sed excutere solet summo labore collisis lapidibus (cf. 294 sq. et 36). sed quomodo repugnantia sit explicanda, videtur apparere. nam apud Aeschylum et Euripidem, qui ante Sophoclem idem argumentum tractaverunt, insula frequens incolis descripta erat — constabat enim utriusque chorus ex Lemniis (cf. Dio Chrys. or. LII) —, ut facile possent ibi illa sacra coli et in utraque fabula nominari. accedit, quod ipsa illa aetate ignis Lemnius proverbii locum obtinebat (cf. Radermacher ad Phil. v. 799) neque ignotus fuisse videtur mons Heraeus (cf. Aesch. Ag. 283) et potus Lycius (si quidem Hesychius et Suidas antiqua tradunt). ergo facere non possumus, quin suspicemur a Sophocle ex aemulorum fabulis vel eorum auctoribus sumpta esse ea nomina, etsi haud satis concinant cum suae tragoediae condicionibus. id vero spectatores, qui insulam non noverint nisi incolis frequentem, haud dubie fugit, praesertim cum nomina prompta sint aptissimis locis, uno enim Philoctetes a Neoptolemo petit, ut se valde laborantem combureret igne sacro illo Lemnio (799 sq.), altero eandem flammam, ut deum praepotentem, adorat (986). deinde haud ineptum est, quod cum insulam relinquit et ultimum salutat, loca sancta atque a se adamata nominibus invocat (1459 sq.). ita sane poeta illam discrepantiam tollere potuit, ut ab ipso Philocteta nomina inventa fingeret, sed est hoc ipsum maxime notatu dignum, quod ita rem fingere supersedit et sine ulla dubitatione ex illis auctoribus ea assumpsit protulitque ut nota (cf. praecipue v. 800).

haec exempla sufficiant ad demonstrandum in ceteris quoque quattuor fabulis similes esse admissas res inter se discrepantes similibusque poetam usum esse consiliis artificiisque.

Ut vero imaginem dramaticae artis Sophocleae sub uno aspectu ponam, hac extrema commentatione licet ea consilia componere ac brevissime adumbrare, quibus poetam in admittendis singulis rebus inter se discrepantibus usum esse passim ostendi. qua in re nonnulla a me congeri, quae forte multi iam norint, consentaneum est, sed respiciant, quaeso, quae consilia cogitationesque Sophocli equidem tribuam, probari atque certe confirmari, cum e rebus inter se pugnantibus cognita sint.

hic rerum constantia respecta fabulas singulas deinceps in ordinem temporis digerere nec possumus nec debemus, primum quia nescimus, quanto temporis spatio poeta singulas composuerit vel quanto studio spectaverit ad constantiam rerum, deinde quia fabularum argumentis aliis difficultates minores, aliis maiores poetis scaenicis obiciuntur, — velut Trachiniarum tragoediae actio multo difficilius in unum diem unumque locum coercetur quam Philoctetae —, verisimile denique non est Sophoclem in iis fabulis superstitibus, quas altera vitae parte composuerit, aetate descendente consilia artificiaque magnopere immutasse. quibus de causis nihil obstare videtur, ne tempore originis neglecto ex his, quid de arte dramatica cognoscendum sit, componamus.

hac in re priore loco, quae interdum neglexerit, illustrabo, altero ad quae maxime intenderit. ordiamur a primarum partium personis. atque poeta habet hanc consuetudinem, ut fortunas earum nonnumquam cum inconstantia describat, sed hoc vitet in moribus. velut Deïanirae in matrimonio vitam varie depinxit (cf. supra p. 6—13) vel Oedipi exilium (p. 68 sq.) vel, quam rationem Antigona habeat ad Eteoclis sepulturam (p. 50 sq.) vel Creon ad Megarei mortem (p. 55 sq.). sed morum inconstantiam, si admisit, bene explicare studuit e rebus hominumque ingeniis; Oedipum quidem extrema fabula vidimus suo iure in suos exsistere placidiorem quam fervidiorem (p. 80 sq.), similemque in Antigonae animo commutationem observavimus, cum morte appropinquante novam causam facinoris sui prompserit (p. 57 sq.).

aliter res se habet in personis secundarum partium. Sophocles enim non veritus est earum mores interdum depingere inconstanter. Hyllus quidem, etsi est filius pius, nulla causa magna cogente patrem emorientem deserit (p. 22 sq.) et Lichas, Herculis comes fidelis ac sincerus, primo domini in Iolam amorem aperte pronuntiat, deinde caute celat (p. 21 sq.). tum Soph. eas ita adeuntes vel abeuntes facit, ut partis cuiusque condicionibus postulatur, velut Ismenam, Haemonem, Eurydicam in Ant. et Creontem in O. C. (p. 52—54 et p. 76), atque expressis verbis nonnumquam negleguntur, ut Ismena in Ant. (p. 52—53). similiter eorum, qui, ut Herculis filii nepotesque, scaenam non intrant, tum praesentia tum absentia fingitur (p. 16 sq.).

in his rebus, quae ad homines pertinent, observandum videtur, quod vel omnes vel ex rebus binis una vel altera seu extra

scaenam seu ante actionis initium posteave aguntur, ut quae hominibus accidant in scaena, bene se habeant resque dissonae minus animadvertantur.

satis de hominibus, sequitur, ut de rebus pauca dicam. has paulo graviore describit neglegentia, ut etiam in ipsa scaena res inter se discrepantes occurant; verbi gratia lucus Dirarum tum est nullo pede calcandus, tum intrare eum nonnullis licet (p. 66 sq.). ceteroquin rebus simili ratione utitur atque hominibus, ut varie statum Polynicis exercitus describit (p. 71 et 78) et arcanum Oedipi sepulcrum (p. 81 sq.). denique de maxima subtilitate moneo, qua in Ant. sepulturam Polynicis ita instituerit, ut tunc perfecta videri posset, tunc non perfecta (p. 39 sq.).

quantum vero ad rerum inconstantium in fabulis admittendam id valuerit, quod Soph. secutus sit alios auctores, in unaquaque discrepantia perscrutari iam non possumus, sed ubi potuimus, velut in Herculis matrimonio vel Polynicis sepultura, demonstrasse mihi videor sola consilia dramatica fuisse alicuius momenti ad res quasdam aliunde assumendas atque has saltem sic a poeta in usum suum conversas esse accomodatasque condicionibus partium singularum, ut ex his quasi natae videantur.

restat, ut componam consilia, quibus res inter se discrepantes in fabulis effectae sunt. sua sponte autem apparebit haec esse in varietate rerum dissonarum talia, ut vel hinc eluceat has res esse uni eidemque auctori, i. e. Sophocli, tribuendas. principium vero capiamus ab argumentis singularum partium. in his poeta id potissimum agebat, ut quaecumque consilia homines vel exsequerentur, simpliciter elegantique ordine explicarentur, ne quid — ut Graeco verbo utar — *ἄπιστον* videretur. exempli causa O. C. partem III. affero, in qua, ut causae suppeterent, cur Theseus ad Oedipum excipiendum moveretur (v. 551 sq.), poeta foedus inter reges ictum et exilium Oedipi a suis filiis factum finxit, etsi utraque re irrepsit discrepantia (p. 74 sq.). similiter in eo Antigonae actu, quo virginis de vita decessus depingitur, ut facilius femina vitae valediceret, rerum discrepantia admissa est; nam et Haemonis sponsi memoria neglegitur et nova sui facinoris causa ab Ant. invenitur (p. 53 et 57 sq.). eodem modo in Trach., ne Deïanira Licham frustra ad verum confitendum adduceret neve deinde suum consilium inconsiderate caperet, contra reliquam tragoediam Herculi multas concubinas fuisse dicitur (p. 6—13). ut igitur hominibus in singulis partibus satis magnae et multae

causae essent agendi, poeta constantiam totius fabulae nonnumquam neglexit.

deinde Soph. id maxime agitabat, ut in actibus id inesset, quod Graeci πάθος appellant. ad hunc effectum spectat, quod in Trach. Deïanira et de fortuna patris certior facta condemnatur a suo filio, etiamsi hunc Trachinem venisse a rerum natura abhorret (p. 22 sq.), et cum dolore domui valedicit, quasi cum Hercule ibi degerit (contra reliquam fabulam cf. p. 13 sq.). ob eandem rem in Ant. ea pars, qua Tiresias inducitur, sic instituta est, ut Polynices eo tempore iaceat insepultus et vates brevi ante fidem suam ac veritatem de Megareo praestiterit, quamquam haec cum nonnullis tragoediae rebus pugnant (p. 29 sq. et 55 sq.). ad eundem effectum in O. C. eum actum, in quo Polynices intrat, rerum constantia parum respecta ita composuit, ut iste solus esset auctor exilii idemque a consilio recedere nequiret, cum exercitus consisteret iam ante Thebarum portas (p. 77 sq.).

sed non modo partium argumenta eleganter explicanda, verum etiam formam Sophocles dignam duxit, propter quam discrepantiae admitterentur. observavimus enim interdum sermones alternos esse inconstantia quadam admissa receptos velut in Ant. prologum (p. 51 sq.) et in O. C. episodium I. (p. 67 sq.) et altercationem in Trach. epis. I. (p. 21 sq.). cur vero poeta in Trach. prologo exhibuerit μονόλογον — ut hoc vocabulo utar —, supra exposui (p. 17 ann. 1).

satis hoc loco de singulis partibus dictum est, relinquitur, ut de totius actionis structura pauca addam. qua in re poeta primum id intendit, ut ineunte fabula personam primariam induceret (discrepantiam ex hoc consilio ortam in Ant. animadvertimus p. 48—50) vel si non hanc, certe eam, quae exsecutura est id consilium, de quo tota tragoedia est, ut in Phil. Ulixem cum Neoptolemo (p. 50). deinde fabulae Sophocleae praeter Ant. et El. sic conformatae sunt, ut id consilium, in quo — ut ita dicam — tota actio vertitur, homines intra actionem demum capiant; quomodo hanc ob causam poeta repugnantiam rerum irrepere siverit, in O. C. observavimus (p. 67 sq.).

iam omnino de personis primarum partium dicendum est. atque maxime dignum est notatu, quod Soph. omnia rettulit ad has earumque gratia molitus est. statuenda autem sunt haec. primum iam ineuntibus fabulis per eas summam intentionem et expectationem excitare studuit, ut in prologo O. C. mira et dubia

conditione exulis auditorum animi valde suspensi habentur et item in Ant. episodio I. virginis fortuna, quamquam in utraque fabula poeta, ut hoc perficeret, nonnullas res dissonas admisit (p. 65 sq. et 40 sq.).

eodem pertinet, quod nonnumquam sibi proposuit, ut vicissitudine fortunae animos percuteret. exempli causa affero epis. I. Trach., ubi rerum constantia non respecta varietate nuntiorum auditores cum Deïanira ad summum gaudium et inde ad maximam tristitiam adducuntur (p. 21 sq.). post haec autem episodia Soph. stasimis primis ad alta et sublimia spectatorum animos tollere solet, ut paulum relaxentur ex intentione (p. 33 sq.).

deinde maximam operam eo contulit, ut ad personas primarum partium per omnes partes intentionem converteret et excitatam teneret. nullas res tragoediis innexuit nisi cum his iunctas et quaecumque ab iis, qui primas partes agunt, studium averterent, repressit. discrepantias ob hanc rem ortas passim ostendimus; imprimis vero observavimus hoc consilio esse personas secundarum partium saepe sine ulla dubitatione neglectas, velut in Ant. Ismenam et in Trach. Herculis liberos.

tum tragoediae detita opera sic sunt compositae, ut per omnes partes auditores cum personis primarum partium consentire possint neque unquam id amittant, quod Graeci dicunt συμπάθειαν. quare inconstantia rerum admissa Oedipum Col. sic instituit, ut Creon et Polynices, uterque Oedipi adversarius, in culpa exilii essent, ipse in nulla (p. 75 sq. cum ann. 1 et p. 77 sq.), quare Creontem, Antigonae adversarium, parum multis virtutibus exornavit (p. 55 sq.).

atque ita per illas personas intentionem excitabat, ut earum fortunam facinorumque effectum usque ad finem tragoediis perducendum putaret, ut Oedipi vitam in O. C., etsi rerum inconstantia inde orta est (p. 81 sq.), et miserrimam Creontis (in Ant.) fortunam, quippe quae exsisteret ex scelere in Antigonam commisso (p. 54).

iam summa Sophoclis consilia, e rebus inter se discrepantibus cognita, adumbravi. apparet vero haec omnia esse tam gravia, ut poetae scaenico propter ea facile liceat rerum quarundam discrepantiam admittere. atque etiamsi in fabulis singulae partes ad certos effectus compositae nonnullis rebus nonnumquam inter se pugnant, tamen unaquaeque tam apte ad rationem totius actionis accomodata eique innexa est, ut rerum ordo non turbe-

tur. omnes vero res, quae actione evolvuntur, serviunt — ut ita dicam — uni consilio, eorum videlicet, qui agunt primas partes, ingenio fortunaeque eleganter et apte explicandis. hinc est, ut cuiusvis tragoediae Sophocleae, etsi res inter se discrepantes insunt, structura videatur esse una et simplex. neque enim auditorum cogitationes distrahuntur rebus minoribus, sed ad summas semper coguntur diriguntur que usque ad exitum. omnino autem de constantia rerum, quam in cunctis fabulis non satis perfectam vidimus, dicamus oportet dubium non esse, quin ad hanc Sophocles spectaverit, praesertim cum discrepantiae omnes sint ita comparatae, ut in scaena vix observentur, sed nullo pacto mirum esse, quod constantiam non semper exsecutus sit in ingenti numero fabularum, quas poetae scaenici eius aetatis per annos et composuisse et docuisse traduntur. nec fabulas condiderunt, ut in libris praecipue legerentur, sed magis, ut in scaena agerentur effectumque haberent. hoc vero poeta praeclarissime perfecit. si enim ad scaenam solam oculos intendimus, de Sophocle dicere licet: nil molitur inepte. ac nisi sciremus ipsum poetam adulescentem munere histrionis functum esse ipsumque tragoedias suas docuisse, hinc esset concludendum. etenim ad unamquamque rerum discrepantiam admittendam praevaluerunt consilia dramatica. quo factum est, ut haec in omnibus cognoscere nobis liceret. ac multo minoris momenti ad hoc fuerunt auctores, quos secutus est, nullius fere res publicae, quas respexisse putatur. fuit enim Sophocles non e poetis doctis, sed e vatibus divinis.

Index.

Vita.

Natus sum Guilelmus Dopheide in Guestfaliae oppido, cui nomen est Guetersloh, a. d. XV. kal. Dec. anno proximi saeculi LXXXVI patre Guilelmo, matre Iohanna de gente Schuermann, quibus gaudeo superstitibus. postquam gymnasium Guetersiohense per novem annos frequentavi, vere anni h. saec. VI. maturitatis testimonio instructus, ut studiis philologicis operam navarem, almam matrem Tuebingiensem petivi, cuius civis fui per semestre. tum Berolinum transmigravi, unde post sex menses me contuli ad academiam Monasteriensem, cuius adhuc sum civis. docuerunt me viri doctissimi: Gundermann, Kornemann, Guil. Schmid, Schwabe, Spitta Tuebingienses; Diels, Kekule de Stradonitz, Lehmann-Haupt, Roethe, Guil. Schulze, de Wilamowitz-Moellendorff Berolinenses; Cauer, Ehrenberg, Geyser, Jostes, Koepp, Kroll, Meumann, Muenscher, Radermacher, Schwering, Seeck, Sonnenburg, Spicker, Streitberg Monasterienses. quibus omnibus iustam ac debitam habeo gratiam, praecipue Krollio, Muenschero, Radermachero, Sonnenburgio, quorum benevolentia factum est, ut seminarii Monasteriensis essem per tria semestria sodalis, primo ordinarius, altero senior, tertio extraordinarius. bene meritus de me est Radermacherus, nunc Vindobonensis, cum ante biennium fere de Oedipo Coloneo quae scripsi, in seminario Monasteriensi castigaverit miseritque mihi suam O. C. editionem iuris publici nondum factam. maximas vero gratias et nunc ago et omni tempore habebo Guilelmo Kroll, qui benignissime semper me adiuvit et dux mihi exstitit cum in hoc opusculo perficiendo tum per omnes literarum partes.